AMOENITATES LITERARIÆ,

Quibus

VARIÆ OBSERVATIONES,

Scripta item quædam anecdota & rariora Opuſcula exhibentur.

Tomus Quartus,

Editio altera correctior.

VITTORIO EMANUELE III
BIBLIOTECA NAZIONALE
NAPOLI

FRANCOFURTI & LIPSIÆ,
Apud DANIEL. BARTHOLOMÆI & FILIUM.
M DCC XXX.



Elenchus eorum, quæ in quarta parte continentur.

I. *Notitia rariſſimi cujusdam primigeniæ typographiæ monumenti.* pag. 239

II. *De artis typographicæ originibus.* pag. 300

III. *Commentatio de vita, fatis, meritis ac ſcriptis Franc. Lamberti Avenionenſis.* pag. 307

IV. *Excerpta quædam e Diario Georgii Spalatini MSto.* pag. 389

V. *Hiſtoire de la Bible de Sixte V. avec des remarques pour connoitre la veritable edition de 1590. par Proſper Marchand.* pag. 433

VI. *Jasonis de Mayno Oratio de Vita Hieronymi Torti JCti Ticinensis.* pag. 455

VII. *Eduardi Regis Angliæ mandatorum epitome in causa religionis.* 482

VIII. *Epistola Pii IV. ad Danielem Archiepisc. & Elect. Mogunt. de usu calicis, laicis quoque nonnullis concedendo.* pag. 501

IX. *Epistola Joannis Philippi Archiepisc. & Elect. Mogunt. ad summum Pontificem de eadem re.* pag. 507.

X. *Epistolæ aliæ ineditæ.* pag. 522

XI. *Additamenta quædam & notamina.* pag. 553

I.

Notitia rariſſimi cujusdam primigeniæ Typographiæ monumenti.

OPus aliquod typopraphiæ vix enatæ ac in cunis adhuc vagientis tempore excuſum, cujus nemo, quod ſciam, hactenus meminerit, curatius recenſere in hujus opellæ Tomo II. p. 329. promiſi: nunc fidem meam exſolvere fas eſt. Quanquam enim hujuscemodi librorum notitia, ſi res in iis tractatas ſpectes, facile & absque detrimento orbem eruditum carere poſſe, probe norim; mereri tamen divinam & auream hanc artem (*ingeniorum*, judice Octavio Ferrario (*a*), *miniſtram, ac literarum propagatricem, quæ immortali Dei bene-*

(*a*) In ſecundo Variorum Operum Tomo p. 375. 378. edit. Wolffenbütt.

ficio magnorum virorum monumenta intercidere non patitur, & contra ævi impotentiam ingeniorum fœtus extendit in ævum, chartaque, qua nihil fragilius, & plumbo minutatim ſecto, temporis voracitati, ferrum ac marmora exedenti, obluctatur) quilibet juſti rerum arbitri mecum fatebuntur, ut quævis vel minima, ad uberiorem ejus hiſtoriam concinnandam facientia, ſolicite comportentur. Præſertim vero illa opera, quæ primis typographiæ rudimentis accenſenda veniunt, eo majori ſtudio deſcribenda eſſe videntur, quo rariora ſunt, pauciſſimorumque ſubeunt oculos. Ejus generis libros ſacra quædam λειψανα, non ſine intimo quodam voluptatis ſenſu a Muſophilis attingenda atque luſtranda, jure vocaverim. Mihi certe, quem curatiorem iſtiusmodi operis notitiam in I. Tomo p. 1. ſqq. dediſſe nondum pœnituit, talem librum inter reliqua theſauri Krafftiani κειμηλια occulis uſurpare jucundiſſimum fuit. Hinc magnæ ſaltim lectorum meorum parti pleniorem ejus deſcriptionem, quam heic inſerere apud animum ſtatui, non prorſus ingratam fore ſpem concipio. Exoravi quoque Perilluſtrem Dominum Poſſeſſorem, ut primam paginam, ſpeciminis loco exhiben-

bendam, delineari, lignoque incidi (†) permitteret. Hac enim ratione plura ejusmodi λειψανα, fortaſſis in pulverulentis angulis latentia & neglecta, detegi ac ab interitu conſervari poſſe arbitratus ſum, ſi ſchema aliquod primitiarum typographicarum publice extaret, oculisque ſubjiceretur: in memoriam mihi revocans, quæ Chevillierius (*b*) narrat: *Il étoit* (de Speculo humanæ ſalutis raro itidem primigeniæ typographiæ monumento loquitur) *dans la Bibliotheque de feu Mr. de Ballesdens, amateur connu des antiquités. Les Libraires ne ſçurent point, que ce fut un livre rare & curieux: ils le mirent dans un pacquet coté* 99. *& priſé* 4. *l. paſſant un jour par le Quay de la Tournelle, je le trouvai ouvert ſur une table, qui ſervoit de montre a une boutique, & l'achetai auſſitot.* Quæ verba cum retuliſſet Clariſſimus Dan. Maichelius (*c*), Profeſſor nunc ſuo merito Tubingenſis,

(†) In figuræ quidem textum variæ irrepſerunt mendæ: interim tamen ex ea de ipſius prototypi, quod hoc ectypo paulo adhuc rudius eſt, ratione judicare potes.

(*b*) L'Hiſtoire de l'Imprimerie de Paris. p. 281.

(*c*) In Introductione ad Hiſtoriam liter. de præcipuis Bibliothecis Pariſienſibus. p. 123. edit. Lipſ.

non abs re hoc judicium ſubjecit: *In præſenti exemplo Chevillierius tantum Librariorum meminit, qui iſtud Speculum ſalutis ignorabant, ac proinde negligebant: at ſine dubio & literati iſtum locum præteribant, & pretium libri ignorabant, alias emiſſent illum ſine dubio, neque ille ad Dn. Chevillierium perveniſſet.* Sed ad rem ipſam accedo.

Liber iſte ejus formæ eſt, quam tabula ligno inciſa repræſentat, conſtans foliis triginta novem, haud opiſtographis, ita tamen, ut & hic, decoris gratia, duæ paginæ ſemper glutine commiſſæ cohæreſcant, charactere Gothico, ut vides, majusculo, rudi & impolito expreſſus, variis figuris, textui additis & ubique immixtis ſcatens. Non imagines duntaxat, verum etiam ipſum textum tabulis inſculptum eſſe ex ſpecimine patet. Illius operis, quod in prima parte recenſui, literas paulo majores, figurasque, textui non immixtas, ſed ex ejus latere in peculiari folio expreſſas, aliquantum rudiores eſſe noto. Singulis paginis heic ad ſeriem chartarum deſignandam appictæ ſunt per ordinem alphabeti literæ, ut prima litera *a*, ſecunda litera *b* &c. inſignita ſit. Prima ſeries usque ad literam *u* incluſive pertingit (ut nihil tamen deficiat), inque

ea

Zu Pag. 296



ea literæ *a b c* &c. haud additis punctis conſpiciuntur; in altera vero ſerie ſingulæ literæ ex utroque latere puncto ſtipatæ ſunt, hoc modo *a. b.* &c. exceptis *n o r s.* Exhibet vero liber iſte tam in textu quam figuris hiſtorias quasdam & vaticinia Veteris Teſtamenti, quæ juxta autoris mentem Chriſtum Soſpitatorem noſtrum resque ab eo in humani generis ſalutem geſtas ſignificarunt. In ſuperiore ſcilicet ſingularum paginarum, in novem quaſi ſectiones diſpertitarum, regione utrinque memorantur illæ veteris Teſtamenti hiſtoriæ, quæ typum Salvatoris exhibere authori videbantur, rarius quædam vaticinia: interſtitium vero intra utrumque textum occupant ſemper effigies eorum ſcriptorum ſacrorum; quorum loca paulo inferius ita adducuntur, uti in primo folio locus Eſajæ: *Ecce virgo concipiet & pariet filium*, & Davidis: *Deſcendet Dominus ſicut pluvia in vellus.* Has autem icones ex ſola ſculptoris imaginatione & arbitrio fluxiſſe vel inde liquet, quod idem ſcriptor ſaeer in diverſis foliis diverſa plerumque & alia facie delineatus ſiſtatur, ſicuti v. g. Eſaias ac David, ſæpius obvii, Protei inſtar varias induerunt in hoc opere formas.

Infra textus hiſtoriarum vel vaticiniorum memoratos in media foliorum regione figuræ ſemper conſpiciuntur utrinque, illas Veteris Teſtam. hiſtorias, quæ Servatoris typum geſſiſſe viſæ ſunt, adumbrantes: medium vero inter has figuras locum ornat particula quædam hiſtoriæ Chriſti ligno inciſa, quæ videlicet iis Vet. Teſtam. hiſtoriis ſignificata fuiſſe ab authore exiſtimabatur. In paginarum calce ubivis comparent utrinque ſinguli verſus, in vaticinia illa vel hiſtorias, figuris expreſſas, compoſiti: duæque rurſus in medio icones Scriptorum θεοπνευςων V. Teſtamenti, Prophetarum præcipue, quorum verba ubique eadem ratione adjiciuntur, qua folio primo Ezechielis & Jeremiæ. His vero imaginibus itidem verſus ſubjectus eſt, plerumque hexameter, figuram hiſtoriæ Chriſti, in paginæ umbilico poſitam, breviter declarans. Cæterum integer liber vocum Syllabarumve compendiis, quæ abbreviaturas nominant, refertus eſt, characteresque literarum ad MSStorum ejus ævi formam proxime accedunt.

En tibi folii ſecundi, litera *b* inſigniti contenta. In priori ſuperioris regionis columna hæc verba ſunt expreſſa: *Legitur in*

libro

libro Exodi III. Cap. quod Moſes vidit rubum ardentem, & non ardebat, & dominum audivit de rubo ſecum loquentem. Rubus ardens qui non conſumitur ſignificat beatam virginem Mariam parientem ſine corruptione integritatis corporis, quia virgo peperit & incorrupta permanſit. In tertia columna: *Legitur in libro Numer. XVII. Cap. quod virga Aaron una nocte fronduit & floruit: quæ virga figurabat virginem Mariam ſterilem ſine virili ſemine parituram filium ſuum Iheſum Criſtum ſemper benedictum.* In media ſuperioris regionis columna conſpiciuntur imagines Danielis & Eſajæ, citatis hujus nono, illius ſecundo capitibus & ſubjectis utrinque ſequentibus: *Lapis angularis ſine manibus abſciſſus eſt a monte: parvulus natus eſt nobis, filius datus eſt nobis.* Primo textui in media paginæ parte ſubjuncta eſt figura, Moſen delineans, paſcentem gregem, terræ inſidentem, atque exutis calceis, manu ac oculis elevatis rubum ardentem aſpicientem, in quo Dominus Moſen alloquens comparet. Alteri textui ſubjecta eſt figura, Aaronem & ſacerdotes, ut videtur, duos repræſentans, virgamque florentem. Medium harum figurarum interſtitium ornat præſepe, cui Servator recens natus injacet, bove aſſel-

loque ſuperius proſpicientibus, inferius Maria lecto inſidente, quæ librum præ manibus habens, lectioni intenta eſt: prope lectum in ſella aſſidet Joſephus, Chriſti nutricius, adjunctis hinc inde vaſis quibusdam domeſticis. Primæ figuræ ſubjectum legis verſum: *Lucet & igneſcit, ſed non rubus igne caleſcit.* Alteri: *Hic contra morem producit virgula florem.* In medio inferioris regionis icones Abacuci & Michæ exhibentur, his verbis utrinque appoſitis: *Abac. III. Domine audivi auditum tuum & timui. Mich. V. Tu Bethlehem terra Juda non eris minima in principibus Juda.* Imaginibus Prophetarum hunc ſubjectum in folii calce legere licet verſum: *Absque dolore paris Virgo Maria maris.*

II.

De artis typographicæ originibus.

ANimus erat, quædam de primis typographiæ originibus congeſta exhibere, largæque aliorum meſſi tenue ſubjungere ſpicilegium: ſed monitus a Venerando Præceptore meo, qui nunquam ſine honoris

tis præfatione a me nominandus eſt, D. Guſt. Georg. Zeltnero, Celeberrimum Academiæ Altorfinæ Profeſſorem & Bibliothecarium Jo. Dav. Kölerum monumenta præſtantiſſima antiquiſſimaque & primigenia Moguntia adeptum, proxime ὀφθαλμοφανείας integro tractatu oſtenſurum eſſe, Guttenbergium, qui & Gensfleiſchius a Sorgenloch dictus eſt, primum artis inventorem, & quæ de lite cum eo a Fauſto agitata apud Trithemium narrantur, falſa eſſe, remque omnem contrario potius modo actam, conſilium iſtud abjeci, cum, quæ a Kœlero Viro ἀκριβεςάτῳ & eruditiſſimo expectanda nobis ſunt, non queant eſſe niſi conſummatiſſima.

Inſeruiſſe tamen heic juvabit carmen in primorum typographorum laudem, hactenus, quod ſciam, nulli memoratum, quod in Bibliotheca Krafftiana ex editione Decretalium Schoifferiana, cujus Maittaire haud meminit, deſcripſi. In calce ejus editionis hæc leguntur: *Anno incarnationis dominice M. CCCC. LXXIII. IX. Cal. Decembris Sanctiſſimo in Chriſto pre ac Dno Dno Sixto Ppa IIII. Pontifice maximo Illuſtriſſimo, Nobiliſſime domus Auſtrie,*

Friderico Romanorum Rege glorioſiſſimo rerum Dnis. Reverendiſſimo in Chriſto Pre Dno Adolpho Archipſule Maguntino, in nobili Urbe Maguncia, quæ nros apud majores aurea dicta, quam divina etiam clementia dono gratuito p ceteris terrarum nationibus arte impreſſoria dignata eſt illuſtrare, hoc pns decretale Gloſſa cum ordinaria Dni Bernhardi, non atramentali penna cañave ſed arte quadam ingenioſa imprimendi, cunctipotente aſpiranti DEO Petrus Schoiffer de Gernsheim ſuis conſignando ſcutis feliciter conſummavit.

Sub hujus igitur editionis finem comparent carmina quædam, his ἐπιγραφαις ornata:

1. *Cur Deus ultimis temporibus artis impreſſoriæ novum ſeculo munus invexerit?*

2. *Apologia vel excuſatio cleri de ignorantia & carentia librorum.*

3. *Excuſationis repulſio & artis impreſſoriæ commendatio.*

4. *Exhortatio ad comparandum libros.*

5. *Primorum artis magiſtrorum typus, & Petri præconium.*

Quin-

Quintum heic adjicio, paucis notaminibus ſtipatum. Aſperum equidem eſt & incomtum, at nonnulla, ad nobiliſſimæ artis hiſtoriam ſpectantia, continet, etſi quædam ita αἰνιγματωδως ſint expreſſa, ut Oedipo opus habeant.

Scama tabernaculi Moiſes, Salomon quoque templi
Haud preter ingenuos perficiunt Dedalos.
Sic decus Eccleſiæ majus major Salomone
Jam renovans renovat Beſelehel & Hyram.
Hos dedit eximios ſculpendi in arte magiſtros,
Cui placet en mactos arte ſagire viros.
Quos genuit ambos urbs Moguntina Johannes (a)
Librorum inſignes Protocaragmaticos.

(a) Per duos hos Johannes FVSTVM & GVTTENBERGIVM indigitari, quilibet facile, me non monente, videt. Guttenbergium vero & Gensfleiſchium unum eundemque eſſe, tritum jam eſt & tralatitium, cum olim ex uno hoc homine a ſuũis etiam Viris duo communiter effingi ſolerent, e quibus exempli cauſa jam tantum nomino J. H. Bœclerum (in Orat. de Typographiæ, Argentorati inventæ, divinitate & fatis, quæ annexa eſt Concionibus D. Jo. Schmidii in feſto typographiæ ſeculari A. 1640. habitis p. 68.) & Jo. Schilterum (in annotationibus ad Kœnigshofianum Alſatiæ Chronicon p. 442. ſqq.)

Legi

Legi duas tabulas pactorum emtionis ac venditionis, ex Ecclesiæ Thomanæ Argentoratensis Libro Salico B. fol. 293. a & fol. 302. b. descriptas, in quibus noster expressis verbis plus simplici vice *Joannes dictus Gensfleisch alias nuncupatus Gutenberg de Maguncia Argentinæ commorans* appellatur. Priores tabulæ A. M. CCCCXLI. VIII°. Kalend. April. posteriores A. MCCCCXLII. XV. Kalend. Decembr. datæ sunt. Utrasque in itinere suo Argentorati ex autographis a se descriptas gratiose mecum communicavit Generosissimus Dominus MARCVS ANTONIVS DE KRAFFT, Reip. Ulmensis, Senator & rerum pupillorum curationem concernentium Præses meritissimus, uti reliquarum Paternarum virtutum, ita & propensissimæ Ejus in literas voluntatis æmulus, Patronus meus demisse colendus, cujus non possum, quin hac in occasione eruditionem eximiam, incomparabilem humanitatem, & summum literas juvandi ardorem in literati orbis conspectu devota veneratione prosequar. Quæ omnia pariter jam non sine prolixo mentis affectu prædicanda mihi sunt in Generosissimo Ejus fratre, Domino RAYMVNDO DE KRAFFT, Senatore itidem Reip. Ulmensis optime merente, mihique faventissimo, & Paterni nominis, & præstantissimarum virtutum Hærede. Sed ad primos typographos redeo, hocque duntaxat adjicio, quinto Amœnitatum tomo me inserturum esse egregiam Dissertationem epistolicam B. Jo. Cunr. Dürrii, Theologi & Philosophi olim Altorfini non incelebris, ad Perillustrem Dominum Georg. Sigism. Fürerum ab Haymendorff, Septemvirum quondam Reip. Noriberg. Ecclesiæ item atque Scholarum Ephorum, & Universit. Altorfinæ Curatorem Primarium A. 1677. scriptam, adhucque ineditam de Joanne Fausto, in qua ingenioſe fabulosas de Fausto præstigiatore famoso narratiunculas ex historia Fausti typographi confictas esse præter alia ostendit. Debeo eam benevolentiæ Viri Celeberrimi deque

Cum quibus optatum Petrus (*b*) *venit ad*
Poliandrum, (*c*)
Curſu poſterior introeundo prior.
Quippe quibus præſtat ſculpendi lege ſagi-
tus
A ſolo dante lumen & ingenium.
Natio quæque ſuum poterit reperire cara-
gma
Secum nempe ſtilo præminet omnigeno.
Credere difficile eſt doctores quam pretioſa
Pendat mercede ſcripta recorrigere.
Orthoſyntheticum cujus ſyntagma per orbem
Fulget, *Franciſcum* (*d*) *præſto magi-*
ſtrum habet.

Me

---

que me multis nominibus optime meriti D. Guſt. Georg. Zeltneri.

(*b*) PETRVS ſcilicet SCHOIFFERVS, qui licet primus non invenerit artem, ingenii tamen ſui felicitate cultiorem reddidit, in ſolertiæ præmium Fuſti filiam thori ſociam adeptus. Hoc igitur ſenſu is hic curſu poſterior, introeundo prior nominatur. vide, ſi placet, quæ de eo diximus Tom. I. p. 5. 7.

(*c*) Quis ſub Poliandri nomine lateat, ſi me edocueris, eris mihi magnus Apollo. Delio certe natatore hic opus eſt.

(*d*) Pariter ignoro, quisnam Franciſci nomine indigitetur. Obſervavit equidem Jo. Jac. Hofmannus in Lexici Univerſal. Tom. II. fol. 508. ex Chronico Sebaſtiani Franckii, Matthiæ Quadi Germania & Martini Zeileri (ſic enim loco Seileri legendum) Carinthii

Me quoque conjunxit illi non vile tragema,
Publica ſed commoda & terrigenum columen.
O utinam exſcobere falſis moliantur ideam.
Qui ſyntagma regunt (e) & protocaragma (f) legunt!
Aureola indubie præmiaret eos Logothece
Quippe libris cathedras mille ſuberudiunt.

---

thii Itinerario Teutonico, artem æris inciſoriam, typographiæ æmulam & exornatricem, primum repeririſſe *Franciſcum a Bocholt*, Montenſis Ducatus Opilionem, eique ſucceſſiſſe Iſraëlem a Meckenich ex Eifflia oriundum, & Martinum Stockium, Alberti Düreri præceptorem: ſed hoc loco *Franciſci nomine typotheta* primæ officinæ typographicæ innui videtur.

(e) Typothetæ.
(f) Correctores.

III.

COMMENTATIO

DE

VITA, FATIS, MERITIS AC SCRIPTIS FRANCISCI LAMBERTI AVENIONENSIS, THEOLOGIÆ IN ACADEMIA MARPVRGENSI PROFESSORIS OLIM PRIMARII.

Συνοψις.

EOrum præcipue vitæ deſcribi merentur, qui circa Reformationis tempora utilem Eccleſiæ præſtiterunt operam §. 1. Ex his Franc. Lambertus, de cujus anno locoque natali §. 2. Is Juvenis Minoritarum Ordini ſe conſecrat, ſed agnita veritate tandem illum deſerit. Hic integrum inſeritur ſcriptum, quo rationem hujus deſertionis reddidit. §. 3. Exponuntur res geſtæ ab eo in Helvetia §. 4. Iſenaci §. 5. Wittebergæ (inſeruntur hic aliquot ejus epiſtolæ ineditæ) §. 6. Ibi conjugium cum honeſta virgine init (hic rurſus exhi-

exhibentur duæ epiſtolæ ineditæ) §. 7. *Metas proficiſcens, ut Evangelium annunciaret, quæ fata habuerit?* §. 8. *Merita ejus de Eccleſia Haſſiaca.* §. 9. *Quo ſucceſſu interfuerit colloquio Marpurgenſi?* §. 10. *de anno ejus emortuali, judiciumque de ipſo.* §. 11. *Scripta ejus recenſentur* §. 12.

§. 1.

LIcet penes æquos rerum æſtimatores extra omnem dubitationis aleam poſitum ſit, vitas eruditorum curate deſcriptas inſignem parere utilitatem; illorum tamen, ſi quid judico, memoria præ cæteris conſervanda, deque iis, quæcunque poſſunt, ἀξιογνωσα colligenda ſunt, qui circa tempora repurgatæ a priſtinis ſordibus ergodiocte potiſſimum B. Luthero, exquiſitis ad tantum opus feliciter perficiendum donis cœlitus inſtructo, religionis vixerunt, ac Eccleſiæ commodis vita, voce, conſilio ſcriptisque pro virili inſervierunt. Hac enim ratione non juſtus modo pro immortalibus in cœtum puriorem meritis honor iſtis habetur, gratiæque, quas ipſis debemus, referuntur: ſed & hiſtoria pariter literaria ac eccleſiaſtica lucem inde aliquam acci-

accipit. Eum vero in cenſum jure ſuo referri meretur Franciſcus Lambertus, Theologus pietate ac eruditione ornatiſſimus, de cujus vita, meritis ac ſcriptis hac vice commentari apud animum ſtatui. Novi equidem, vitam ejus jam breviter & concinne deſcriptam eſſe a Celeberrimis Relationum innoxiarum de rebus theologicis nov- antiquis (*a*) Authoribus, nec non nuperrime a Viro erudito, qui literariam Haſſorum hiſtoriam Germanico ſermone (*b*) vulgare laudabili ſtudio cœpit: veruntamen meam hanc opellam non prorſus ſupervacaneam cenſebunt, ſpero, benevoli lectores, ſi conſideraverint, multa a me plenius ac dilucidius eſſe expoſita, haud pauca, memoratu non indigna, addita, cum ex editis beati viri libris, tum præcipue e monumentis anecdotis iisque authenticis, quæ Bibliotheca Perilluſtris Domini de Krafft mihi ſuppeditavit.

(*a*) Unſchuldige Nachrichten An. 1709. p. 17-25.

(*b*) Kurtze Hiſtorie der vormaligen und gegenwærtigen Gelehrtheit der Heſſen. Trimeſtr. I. p. 24-31.

§. 2.

Germania noſtra Lambertum (*c*) Galliæ debet, fœcundæ illi doctiſſimorum hominum matri & nutrici. Natus enim eſt Avenione A. R. S. M CCCC LXXXVII. (*d*) patre legationis Pontificiæ & palatii, ut vocant, apoſtolici Secretario (*e*), e familia, quæ ex Burgundia, nempe ex Orgeleto, originem traxit (*f*).

§. 3.

In tenella ætate patre orbatus puer ſanctis divini ſpiritus motibus ad meliora quævis excitatum ſe ſenſit. Hinc eam vitæ rationem inire deſideravit, qua Deo optime ſer-

(*c*) Alius Lamperti (ſic enim & noſtri nomen ſæpius ſcriptum reperi) Auguſtiniani Monachi, cui prænomen Joanni fuit, Bruxellis ob veritatem Evangelicam A. 1523. combuſti, meminit Sekendorfius de Lutheranismo L. I. §. CL. f. 280.

(*d*) Hoc anno natum eſſe inde concludo, quod in libello de ſuo ex ordine Minoritarum exitu decimo quinto ætatis anno ad eorum habitum convictumque ſe receptum fuiſſe dicat, in dedicatione vero Commentarii de conjugio annos circiter viginti inter Minoritas ſe fuiſſe verſatum. Ex ſequentibus autem patebit, A. 1522. ordinem hunc eum deſeruiſſe.

(*e*) Vid. Dedicat. Commentarii de Conjugio.

(*f*) Vid. Dedic. Comm. in Mich. Nah. & Habac. p. 3.

ſervire, ſeque ipſius cultui totum conſecrare poſſet. Eo animo ſe decimo quinto ætatis anno Ordinis Minorum Monaſterio Avenione mancipavit, externa ſanctitatis ſpecie deceptus. Perſpectis vero dein penitius lupinis, qui ſub ſplendida fictæ pietatis imagine ac pelle ovili latebant, moribus, ſumma anxietas miſerum conturbavit pectus, de ſalute ſolicitum. Accedebat, quod, cum ob dotes, quibus egregie inſtructus erat, præco, quem vocant, apoſtolicus conſtitutus veritatisque cœleſtis radiis aliquantum jam illuminatus eſſet, in ſociorum ſuorum invidiam ac odium incurreret, variisque hinc premeretur moleſtiis. Unde ſuæ ſodalitatis tædio Carthuſianorum ordini ſe addicere decrevit, ſed Minoritis contra nitentibus ad ſuos redire coactus eſt: quorum deinceps odium eo acrius in ſe concitavit, quod Lutheri noſtri libros amaret ſeduloque legeret. Ipſis vero illi ereptis, ac flammis ultricibus traditis, felicem tandem nactus eſt occaſionem, ex ergaſtulo ſuo evadendi, & in Germaniam, quam veritatis divinæ lux ſerenis radiis jam colluſtrabat, lætis auſpiciis ſe conferendi; ubi poſthac rationes, propter quas Minoritarum converſationem habitumque rejecerit,

publico ſcripto (*g*) ediſſeruit, quod integrum hic adjicere viſum eſt, cum breve ſit, tamque rarum, ut fere pro inedito haberi mereat.

FRANCISCI LAMBERTI AVENIONENSIS,

Theologi rationes, propter quas Minoritarum converſationem habitumque rejecit.

FRANCISCVS LAMBERTVS AVENIONENSIS,

Inutilis Ieſu Chriſti ſeruus, pio lectori, Chriſti graciam & pacem.

Quoniam in Minoritarum (quos obſeruantes titulo, prorſus non Chriſtiano, appellant) olim fui conuerſationem receptus, atque in eorum habitu, annis plurimis uerbum domini in diuerſis regionibus, & prouinciis declamaui: nouiſſime autem conpulſus, eorum & conuictum & habitum dereliqui: neceſſum fuit, ut cunctis palàm facerem, quæ fuerit cauſa mei egreſſus, factique

(*g*) E quo quædam excerpta exhibet B. Seckendorfius in Scholiis ad Indicem I. Comment. de Lutheranismo.

ctique mei apertam redderem rationem. Alioqui puſilli & ſimplices ſcandalizarentur, niſi intelligant me, id quod feci, ſecundum Chriſtum facere potuiſſe. Huius rei gratia libellos duos edidi. Primum habes, quo nonnullas & uere ex complurib⁹ paucas dicti mei egreſſus cauſas poſui. Reliquus propédiem emittetur, quo quid de Minoritarum regula ſentiendum ſit, aperte cognoſces. Hos dum legeris, ſi Chriſtianus es, non tantum non ſcandalizaberis, ſed & mecum ſenties me ab illis neceſſario fuiſſe egreſſum. Vale, Gratia Chriſti tecum.

APud Auenionam inclytam Galliarum urbem, me tenello adhuc puero exiſtente, patre defuncto, & Chriſti ſpiritu animum pueri ad meliora ſolicitante, occurrit externus ille Minoritarum (quos obſeruantes uocant) ſplendor, multam ſanctitatis ſpeciem habens, quos tales fore interne puerili æſtimatione ſentiebam. Admirabar in illis tegumentorum decentiam, uultus demiſſos, oculorum inclinationem, ſuauiſſima fictæ pietatis eloquia, pedes nudos, ſandaliis calepodiisue utentes. Laudabam in eis geſtuum grauitatem, inceſſum maturum,

brachia complicata, exquiſitos & eosdem expolitos prædicandi geſtus: & ſimilia quæque. At ignorabam lupinum illud, uulpinumque pectus, ſub ueſtimentis ouium latens.

Sanè, ad id me quammaxime prouocabant, qui in publicis concionibus hæc Chriſto acceptiſſima prædicabant, & mihi ad partem euocato plurima de clauſtri fructu, ac cellæ quiete, deque ſtudiorum opportunitate, & ſimilibus plurima egregie mentiebantur. Quæ autem reuelare oportuerat, diligentiſſime occultabant. His me autem ſtimulis agitato, anno ætatis meæ 15. Auenionæ fui ad eorum habitum conuictumque receptus, deceptus profecto uehementiſſime. Verum deus alto ſuo conſilio uoluit me ab humano decipi, ut probarem quid rei eſſet, quod tam ſublime propria ſententia uidebatur. Nihil quoque dubitauerim, me inter eos fuiſſe, Deo prouidente receptum, quodque ab me externis illorum faciebus ſeduci uoluerit, donec ueritate cognita egrederer, cunctisque palàm facerem, quæ ſub ſepulchris iſtis dealbatis ſpurcitiæ latitarent.

Probationis igitur anno, ne à ſumpto propoſito dimouerer: quæ apud eos impia

pia erant, mihi diligentiſſime abſcondebantur. Hanc quippe habent conſuetudinem, quod ſecreta ſua, id eſt impietates, nouiciis occultant. Quandoquidem certi ſunt, quod nullus unquam uellet apud eos ad profeſſionem recipi, ſi quæ apud eos latent, nouiciis fierent manifeſta. Dicuntque impii homines, quod ſi quiſpiam uel minimum quiddam admiſerit, unde illi anſam ſuſcipiant, ab eorum congregatione abeundi, crimen inexpiabile ſit. Verum ſi ſemel profeſſionem emiſerint, nihil eſt quod amplius eorum ſcandala timeant. Hinc palàm fit, quod Chriſtum potius, quàm ſectam ſuam deſeri uolunt. Dum enim timent magis ſcandalizare nouicios, ne ab ipſis diſcedant, quàm profeſſos, ne à Chriſto ſeparentur: quid aliud faciunt, quàm quod ſeipſos magis timent deſeri, quàm Chriſtum?

Completo dehinc probationis tempore, tantum annos ſedecim, & menſes aliquot natus, profeſſionem emiſi, penitus quid facerem neſciens. Mox internis eorum mihi patefactis, animaduerti multum inter interna externaque referre: & quo magis me confuſum ab omni mea expectatione conſpiciebam, eo magis triſtis, adflictus, lan-

guidusque uiuebam. Non poteram tamdiu concupitam mentis nanciſci quietem. Contriſtabar ideo in exercitatione mea,& conturbabar ab impiorum tribulatione. Vocatus demum ad ſalutare uerbi miniſterium, quantum me non pro illorum uoto prædicantem diſcruciarint, ſatis refetre non poſſum. Audiebant populi uerbum Dei, illudque auidiſſime ſuſcipiebant: ſoli autem illi, ſicut aſpides ſurdæ & obturantes aures ſuas, non exaudiebant uocem altiſſimi. Aiebant omnifarie, ut & adulator & uerbi ſancti adulter eſſem, quibus non diſſentire non poteram.

Poſt multos denique annos, electus ad uniuerſaliter nunciandum Chriſti euangelium, factusque apoſtolicus (ut uocant) prædicator. Præter crucem illius laborioſiſſimi miniſterii, erant mihi illi continua & eadem intolerabilis crux: apoſtolicis autem prædicatoribus, impoſitum eſt, ut apoſtolorum more per orbem proficiſcantur, ſemperque oblata ſibi opportunitate euangelizent. Hæc dum immenſis cum laboribus pro mea uirili implerem, quæcunque dominus per me operari dignabatur, calumniis fucatiſſimis impugnare moliebantur. Quos dum uiderem nimio liuore torqueri, nolui uti multis facultatibus, mihi pro miniſterii

niſterii mei neceſſitate conceſſis. At nec ſic à Chriſti pauperis diuexatione ceſſabant.

Fatigatus ſæpe aliquot menſium prædicatione continua, dum in cœnobia regrediebar, confeſtim ab impiis ueritatis hoſtibus, mihi pro bonis mala retribuebantur. Maledicentiæ, iniuriæ, conuicia, ordinaria ciborum meorum condimenta erant. Corporeæ deinde imbecillitatis cauſa, dum ad Chriſti Euangelium nunciandum pedeſter nequirem proficiſci; uel hoc mediò à miniſterio ſancto me impedire nitebantur. Quandoque uero ingenti & dolo & rapacitate aſinos mei gratia ab amicis meis comparari permiſerunt: quos poſt dies aliquot uendebant, aut cæteris pro ſua uoluntate tradebant.

Cum ante annos 4. apud quandam Galliæ ciuitatem euangelizaſſem, & populi reſipiſcentes, laruas, taxillos, chartulas, & ſimilia pleraque ad præparatum incendium pariter ferrent: quidam ex ueritatis hoſtibus prædictis, ex eis nonnulla furtiue ſuſtulerunt, laruam præcipue ſimilem puellæ laſciuienti. Quos dum pro hac re furti arguerem, aduerſum me pariter coniurarunt, tractantes quibus mediis id fieri poſſet, ut à ſancto miniſterio efficerer alienus. Nihil

pro hac re neglexerunt, mendacia, falſaque teſtimonia excogitarunt: quæ ueruntamen mihi nota facere auſi ſunt nunquàm. Verum diſſipauit dominus conſilium Achitophel, ut hac de re nec concionem quidem unam inquàm dimiſerim.

Inſurrexit aliquando aduerſum me quidam bullarum Antichriſtianarum improbus aſſertor: in quem ſic Chriſti ſpiritu dirigente proceſſi, ut à præſidibus urbis, in qua hæc agebantur, damnaretur, quod factum impii illi homines condemnarunt.

Perueniens aliquando in domos eorum, qui Minoritas hoſpitantur: ubi mihi notum fuit eos eſſe publicos ſcortatores, aut uſurarios, aut raptores, ſecretò illis ſalutis conſilia dedi. Quod illi, ut rem ſumme illicitam condemnabant. Dicebant enim (ut animalia uentris ſunt) forſitan amodo non hoſpitabitur & reficiet nos: magis (ut uides) timentes cœnam unam perdere, quàm animarum hoſpitum damnationem. Tametſi nullum uiderim, qui fuerit minus ad hoſpitalitatem procliuior.

Cardinalis quidam, Rhomani epiſcopi à latere (ut vocant) legatus, uoluit ut die quodam Chriſti uerbum enuntiarem. Mox æmulorum meorum ſurrexit inuidia, duorum

rum præcipue ſeniorum, à quibus iniquitas eſt egreſſa. Horum unus Guardianus erat: qui die ſtatuto aduéniente, imò proxima euangelizandi hora inſaniens, ad Cardinalis cucurrit palatium, factusque impius mendax, me ægrotum fore confinxit. Expaueſcebant hi Babylonici ſenes, ne forſan non ſatis Cardinali & magiſtratibus adularer. Dumque prædictum Guardianum admonerem, carceres & tormenta comminabatur. Is poſtmodum miniſter prouinciæ factus, priſtinæ malignitatis non immemor, aduerſum meas, uelit nolit, pias & ueras conciones quædam ſcripſit. Vnde timens aliquando in eorum quandoque manus incidere, & per omnia inutilis fieri, eorum conuerſationem propoſui derelinquere, & fieri Carthuſianus. Timebam enim, ad communem hominum redire conuerſationem, ne uniuerſis regionibus, quibus Chriſti uerbum prædicaueram, ſcandalo forem. Dicebam quoque: ſi non poſſum dei eloquia populis in pace nunciare, ſaltem libellis quos potero edocebo. Sed uere ſatanæ illuſio fuit, quandoquidem nec iſti ſcripta mea ſuſtinuiſſent.

Minoritis demum me perturbantibus non potui ad Carthuſianorum habitum recipi, quam-

quamuis me ſuſceperint ad oſculum pacis, ut loquuntur. Perturbatus ergo à Carthuſianis, Minoritis tunc mihi adulantibus, redii ad miniſterium meum. At mox redeunte uerbo, grauis quoque rediit perſecutio.

Hi libros uere Euangelicos, theologi Chriſtianiſſimi Martini Lutheri, quos habebam, abſtulerunt, ſigillaruntque: quos in prouinciæ capitulo non inſpectos, & uix à limine ſalutatos, condemnarunt, & combuſſerunt: ſaltem illos legere oportuerat. Clamabant tantum, hæretici ſunt, hæretici ſunt. Sic iudicant & condemnant, quod penitus ignorant. Ego confidenter loquar, credens in domino quod uerum ſit, quod plus ſyncerioris theologiæ in libris prædictis continetur, quam in omnibus ſcriptis omnium monachorum, qui à principio fuerunt. Da ueniam lector optime, quod te horum phariſæorum inſaniis tamdiu occuparim: qui ut breui concludam, mihi pro Dei ueritate zelanti, tam gravia intulerunt, inferuntque adhuc omnibus, qui paris ſententiæ ſunt, quod nec plurimis libris poſſent uniuerſa conſcribi.

Hi ſunt qui ſe obſeruantes eſſe ſuperciliоſo titulo iactitant. Chriſtus Lucæ 17. dicit:

dicit: Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite, ſerui inutiles ſumus. Illi uero, ut uel ipſo etiam nomine, eos ſancti uerbi contemptores eſſe ſcias, dicunt: Obſeruantes ſumus. Vniuerſos dehinc monachorum ſtatus in ſuam iſti traxerunt ſententiam, ut ex omnibus jam inueniantur, qui obſeruantes uelint appellari. Nullus profecto eccleſiæ Chriſti magis nocuit unquam, hominibus iſtis, obſeruantiæ titulo glorioſis.

Verum, quid ſynceræ obſeruationis in eis eſſe poteſt, qui nec regulam quidem ſuam intelligunt, neque intelligere uolunt? Scio enim quantum me afflixerint, de eadem uaria ſæpenumero aut declarantem, aut colloquentem: quandoquidem illius zelotes plus æquo aliquando fui acerque nimium eiusdem transgreſſiones: ſed nondum reſeratum erat ſepulchrum domini glorioſum, nec ablatus humanorum operum ac carnis ſapientiæ lapis à præclaro euangelii monumento, quo amabilis dei eloquiorum ueritas contegebatur.

Heu quantum fui ſeductus. At quem non ſeduxerunt iſti obſeruationis ſacri euangelii acerrimi hoſtes? Non ſuſtinebant dei eloquia pronunciantem, perſequebantur

tur pro regulæ obſeruatione zelantem. Quid ergo feciſſem cum impiis iſtis?

Acceptis igitur commiſſionis (ut uocant) literis ad ordinis Generalem, aut uicegeneralem, à Galliis ueni in Germaniam, ubi opportunitate accepta, phariſaicum illud tegumentum reieci, ſciens quod nihil faciat ad Chriſtianismum, ſic vel ſic, hoc vel illo colore ueſtiri. Teſtificor autem coram domino, quod nunquàm eos reliquiſſem, ſi ſalua ueritatis euangelicæ libertate, apud eos manere potuiſſem: ſed cum eandem neutiquàm ſuſtinent, me ab illis egredi neceſſarium fuit. Feceram primum contra illud Pauli, 1. Corinth. 7. Precio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum. Hi fiunt ſerui hominum, qui eorum ſtultis conſtitutionibus alligantur. Qui ergo deceptus me ſeruum feceram hominum, quid agere debui, niſi ut obſeruarem eiusdem conſilium, quod ubi ſupra ſcripſit: Si potes fieri liber, magis utere. Segregatus igitur à malignantium conuenticulis, ueni ad illam uere ſupremam orbis Academiam Witenbergen. in qua nihil quod ad ſacras, bonasque literas pertineat, deſyderatur. Cuncta enim illic traduntur abunde. Doleo me factum eſſe quaſi mutum, quod

non

non poſſim uiuo uocis actu uerbum domini populis nunciare: uerum expectabo quid mihi imperet dominus, & ſuſtinebo manum eius: interim uero quantum potero nitar, ut uel ſaltem ſcriptis, tam latinis quàm uulgaribus cunctos ad euangelii ſynceritatem admoneam.

Habes lector ex compluribus admodum pauca, quæ animum meum admouerunt, ut à Minoritis ſeiungerer: ſed mihi ſufficiat nunc uel breuiter mei egreſſus rationem oſtendiſſe. Hoc totius negocii tantum præludium erit. Habebis poſt dies aliquot, noſtros in eorum regulam commentarios, in quibus paulò manifeſtius rem omnem intelliges. Tandem ut ſciant omnes, quid propoſiti mei atque ſententiæ ſit, hæc tria paucis accipiant.

PRIMVM, Quia olim ſeductus, & quid agerem penitus ignorans, uotum emiſi, à profeſſione Chriſtiana plurimum diſſentiens: omnibus Minoritarum inuentis abrenuntio. Sanctum Euangelium, & meam & omnium Chriſtianorum regulam neceſſariam eſſe cognoſcens.

Secundum, Reuoco, quicquid aliquando ubilibet terrarum prædicaui, ſacri Euangelii ſimplicitati non per omnia conſentiens.

tiens. Obſecro autem omnes qui me aliquando prædicantem audierunt, aut ſcripta mea legerunt, ut omnia rejiciant, quæ ueritati nunc reuelatæ minime conueniunt. Verum confido in eum qui me à captiuitate plusquam Aegyptiaca eduxit, quod illius auxilio tractatibus & libellis uniuerſa errata mea reparabo abunde.

Tertium, Quia nullus poteſt ad ueritatis cognitionem pertingere, niſi à papa Antichriſto diſſenſerit: ideo illi & omnibus decretis illius abrenuntio, nolens ſui regni apoſtatici particeps eſſe: ſed uolens ab illo perpetuo eſſe excommunicatus, cum ſciam idem regnum eſſe à Deo excommunicatum & maledictum. At de his paulò pluſcula alio libro tractabimus ad gloriam domini noſtri JEſu Chriſti: cui ſit honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

§. 4.

Itaque Lambertus poſt receſſum e Gallia A. MDXXII. in Helvetia primum veritatem a ſe agnitam variis in locis non ſine fructu libere & fideliter docuit. Benevole inprimis exceptum ſe gratus profitetur a Sebaſtiano de Montefalcone, Epiſcopo & Principe Lauſanenſi, in dedicatione Farraginis

ginis omnium fere rerum theologicarum ad ipſum directa ſcribens: *Superioribus annis cum apud urbem tuam Lauſanam verbum Chriſti annunciarem, animi tui pietatem adulatorum vero ac ſeductorum quorundam, impietatem, multifarie expertus ſui. Siquidem ubi noſtris prædicationibus aderas, verbum Domini ſinceriſſime amplectebaris, ubi autem ob negotiorum tumultus abeſſe compellebaris (quod ſemel atque ſecundo fuit) ſicut mihi nonnunquam dixiſti, a verbo Domini te facere alienum nonnulli moliebantur, adſerentes quod hæretica prædicarem. Verum tandem ſic te vicit potentiſſima veritas, ut multis pro me ſcripſeris, & libenter fatear, tui cauſa apud Bernenſes, Tigurinos, Baſilienſes, & Friburgenſes bene mihi fuiſſe. Abeuntem quoque adjuraſti, ut nonnunquam ad te ſcriberem, quæ pietatis erant, quod & me oportune facturum ſpopondi.* Et multis interjectis: *En quam multa fiducia tecum ago, memor veteris amicitiæ, qua me olim dignatus es, ac nobiliſſimi animi illuſtris dominationis tuæ.* Tigurum eum deinde conceſſiſſe, ut cum Zwinglio de religione conferret, ex annalibus conſtare memorat J. H. Hottingerus, (*b*) ſimul-

(*b*) In Hiſtor. Eccleſ. Sec. XVI. Part. II. p. 584. ſq.

que literas commendatitias, quibus eum Berchtoldus Hallerus Bernæ inſtruxit, exhibet. Non abs re erit, eis & heic locum præbere, cum nobis egregie depingant Franciſcum noſtrum, qualis tum fuerit. *Singularis tua humanitas, cujus omnes impleviſti erga me numeros, & hujus boni fratris Franciſcani ſanctum concionandæ veritatis inſtitutum quaſi ſuo jure aliquid literarum a me exigere videntur, quæ mei memoriam apud Te foveant, nec tam plane apud Te frigeſcere patiantur. Mea autem cautio eſſe debet, ne diutius, quam par eſt, Te hominem, ut audio, occupatiſſimum obtundam. Itaque rem ipſam in pauca conferam. Pater ille Franciſcanus, & nihil minus quam monachus, concionator tamen Apoſtolicus & Generalis Conventus Avenionenſis ad quinquennium jam ferme docendæ veritatis Chriſtianæ officio functus, Gebennis, Lauſannæ coram Epiſcopo, Friburgi, & jam Bernæ, Latino tamen ſermone concionatus eſt noſtris ſacrificulis, nondum ex omni parte in re Chriſtiana ſanis, de Eccleſia, Sacerdotio, Sacrificio & Miſſa. Rurſus de Romanorum Pontificum Epiſcoporum traditiunculis, de ordinum & religioſorum fatuis, & plene hypocriticis ſuperſtitionibus, cæterisque multis, quibus omnibus nonnihil profuit. Non quod*

hæc

hæc a nobis aliena ſint, verum a tali homine, Franciſcano, Obſervante, Gallo (quæ omnia mare ſuperſtitionum confluere faciunt) inaudita videbantur. Is igitur totam peragrabit Germaniam, & itineri, ad Tigurum accinctus, petiit, ut Tibi eum commendarem. Non dubito, quin pro Tua in me humanitate eum humaniſſime ſis tractaturus; ipſe mox videbis, cujus ingenii, doctrinæ & eruditionis ſit.

§. 5.

Eodem anno ad finem vergente Lambertus Iſenacum, Thuringorum oppidum, pervenit, ibique poſitiones quasdam publicæ diſcuſſioni ſubjecit. Hæc enim lego in Georgii Spalatini Diario MSto, eoque ἰδιογραφῳ ab A. 1515. ad An. 1526. incluſ. quod inter cimelia ſua adſervat Perilluſtris Dn. de Krafft. *Venit ſub Novembri Iſenacum ſive Gallus ſive Italus* (in margine vero idem notavit: *imo Gallus, patria Avenionenſis Franciſcus Lambertus olim Minoritanus*) *qui ſe nominavit Johannem Serranum, vir eximia eruditione in Theologia ſinceriore, qui mire ut principem noſtrum chriſtianiſſimum Electorem Saxon. ſic Doct. Martinum Lutherum ambivit, ut admitteretur in conloquium*

Prælegit illic reclamantibus ſophiſtis & mendicabulis cucullatis Evangelium S. Johannis. Diſputavit nonnullas propoſitiones die S. Thomæ Apoſtoli de matrimonio male prohibito clericis, de confeſſione, de baptiſmo, de contritione, de ſatisfactione. Extat inter Spalatiniana Bibliothecæ Krafftianæ MSSta faſciculus poſitionum 139. quas præter alias publicæ συζητησει Lambertus Iſenaci expoſuit, cum hac epigraphe: *Sequuntur propoſitiones apud Iſenacum expoſitæ, quarum plures antea ibidem diſputandas tradiderat idem Theologus, qui expoſuit ſequentes: & quoniam nullus fuit, qui adverſaretur, propterea illas adauxit, ut clariores fierent præcedentes ex his, quæ ſequuntur.* Cum neſciam, an eæ typis ſint exſcriptæ (*i*), ſpeciminis loco illarum quasdam de reſervatione caſuum hic inſerere placet.

„ 91. Gravi certe animarum periculo, „ imo perditione, invaluit abuſus ille tot „ reſervationum, pro quibus ad Roma„ num Epiſcopum, ſive ad reliquos, ſta„ tuunt fore eundum.

92.

(*i*) Ab iis certe differunt, quæ iisdem de rebus extant in Farragine omnium fere rerum theologicarum.

92. Nullus ad Romanum Pontifi-„
cem, ſive ad reliquos, eſt mittendus,„
etiam pro caſibus, illis commento„
(quod jus vocant) humano reſervatis,„
ubi pro pecuniis tantum univerſa agi„
conſpicimus.„

93. Nec te moveat Romani Epiſcopi„
facies, triplici corona ſuperba, nec arro-„
gans papatus agnomen cum univerſa„
eccleſia ſua. Nam certum eſt, illum„
jure divino nihil talium poſſe, nec de-„
bere præſidere aliis quam Romanis,„
cum vere tantum Rom. Epiſcopus ſit,„
nihil in Archiepiſcopatu Moguntinenſi„
plus valens, quam in eo poſſet Archie-„
piſcopus Avenionenſis, & ſic de ceteris.„

94. Neque terrearis illius aut alio-„
rum Epiſcoporum poteſtate terrena„
quum hæc illis tantum proficiat ad„
interitum, & a viris, quos apoſtoli-„
cos fore oportuit, hæc ſint quam ma-„
xime aliena.„

95. Homo non poteſt eſſe apoſto„
licus pompa ſeculi, terrenoque impe-„
rio, ſed Apoſtolorum imitatione, ac„
verbi Dei miniſterio, quod illi fero-„
ces lupi ululatibus ſuarum traditio„
num deteſtabilium admodum conte-„

„nebrarunt; & ad id infeliciter niti vi-
„dentur, ut penitus illud extinguant:
„ſed diſſipabuntur conatus illorum abs-
„que manibus; nam ſua ſtultitia & ver-
„bi ſancti actione peribunt. Fiat, Fiat,
„Amen!

„96. Igitur deſertis eorum plusquam
„inſaniis, abſolvat pœnitentem confeſ-
„ſor, & id gratis, ſecundum evangeli-
„cam juſſionem, ubi videt, illum ab
„aliis ſymoniace ac pecunia tradita
„ſolvi.

§. 6.

Rebus igitur Iſenaci bene geſtis, An. M D XXIII. menſe Januario ſolius fere Lutheri conveniendi gratia Wittebergam concedens, a Megalandro noſtro humaniſſime habitus, ejusque primum ſumtibus pro ea, qua pollebat, liberalitate ſuſtentatus eſt, poſthac vero ab illo Georgio Spalatino, & per hunc Friderico, Saxoniæ Electori ſupra omnes laudes poſito, commendatus, Principis hujus Optimi benevolentiam multis modis expertus fuit. Hujus loci eſt, referre elogium, quo ipſum Lutherus in epiſtola ad Spalatinum l. II. p. 124.

p. 121. ornavit (*k*): *Adest Johannes ille Serranus, vero nomine Franciscus Lampertus, imaginibus quoque nobilis, inter Minoritas viginti annos versatus, & generali verbi* (Sekendorfius legendum esse arbitratur: *Generalis*) *officio functus, ob persecutionem, exul & pauper factus. De integritate viri nulla est dubitatio: testes sunt apud nos, qui illum & in Francia & in Basilea audierunt, tum Basileensis suffraganeus ille Tripolitanus cum Pellicano, dant illi pulchrum testimonium. Et quanquam nos abundemus Lectoribus optimis, tamen, si quid poterit, non abjiciemus: mihi per omnia placet vir, & satis spectatus mihi est, quantum homo spectari potest, ut dignus sit, quem in exilio paululum feramus & juvemus. Sed tu meam nosti facultatem, ut non sit opis meæ illum alere, qui ipse alienis vivo: videretur mihi Principi persuadendum, ut jam non perdat, sed in charitate Christo fœneret viginti aut triginta florenos, in eum collocandos, donec vel a suis tribulibus, vel proprio stipendio sese sustentet de labore suo.* Neque vero otio nobile tempus Wittebergæ perdidit vir diligentissimus, sed juven-

(*k*) Dignum quoque hoc censuit, quod insereret præstantissimo suo commentario de Lutheranismo Sekendorfius Lib. II. Sect. 8 §. XIV. f. 40.

tuti ſtudioſæ Hoſeam Prophetam aliosque libros biblicos non ſine auditorum plauſu expoſuit. Spalatinus in Diario ad ann. M. D XXIII. menſ. Februar. *Franciſcus Lambertus Avenionenſis patria Gallus, Wittebergam profectus, Hoſeam Prophetam prælegit, ſatis frequenti auditorio.* Sed ipſum hic Lambertum audire juvat de Electore ac Luthero ita in Dedicatione Commentariis in Prophetam Hoſeam A. 1525. præmiſſa differentem: *Veniunt, paſſim Wittembergam Comites, Equites, Nobiles, & alii etiam e Gallia noſtra, ut te inclytum Ducem videant, ac præfectum operum Mart. Lutherum. Hoc ſtimulo actus ego peccator, e noſtra Avenione, quæ ultra Allobroges in ripa fluminis Rhodani ſita eſt, confidenter iter adgreſſus ſum, & veni in dictam vere felicem Wittembergam, in qua ad publica Dei ſcripta enarrandi provinciam admiſſus fui, & in ea DEus Tuam altitudinem mihi vere patrem fecit. Taceo ſigillatim, quæ ab ea accepi, enumerare, ne adulari potius videar, quam ejus in nos charitatem profiteri. Novi, quam pectus chriſtianum non ſuſtineat adſentationem. Paucis hæc dixiſſe ſufficiat, quod paterne ſemper juviſti & foviſti nos. — — Is Oſeæ liber prior eſt ex omnibus, quos apud Tuam feliciſſimam Witten-*

ber-

bergam enarravimus. Proinde Inluſtriſſ. D. Tuæ illum dicare volui, ne me extra Saxones habitantem Tuæ clementiæ putes oblitum. Spalatini autem favorem in dedicatione Commentar. in Evangelium Lucæ A. 1523. menſe Novembri his prædicat verbis: *Ego homo in Saxonibus peregrinus, & propter teſtimonium JEſu Chriſti e Gallia, maxime ab inclyta Avenione, urbe Romano Pontifici ſubjecta, exul, & tuam, & per te Clementiſſimi Principis beneficentiam ſic expertus ſum, & indies experior, ut etiam adjuratus Dei & in eo & in te laudes tacere non poſſim* &c. Hoc quoque anno ipſum Electorem, Evergetam ſuum conveniſſe Lambertum teſtis eſt Spalatinus in Diario: *Eadem vigilia* (Pentecoſtes ſcilicet) *etiam huc Locham* (*l*) *venerunt viſum Principem tres Galli pii & eruditi, Anemundus Coctus a Caſtellare* (*m*) *Eques, olim*

 miles

(*l*) Locha alias a Sekendorfio Lochavia dicitur, arx & oppidulum prope Wittebergam, ubi Fridericum Electorem frequenter commoratum eſſe e Spalatini Diario MS. didici. Hodie ab Anna Danica, Auguſti Electoris conjuge, inſtauratrice arcis, Annæburgum vocatur, vid. Sekend. l. c. L. I. §. LXXX. f. 123.

(*m*) Eques hic, e Gallia itidem ob religionem profugus, Lamberto amiciſſimus, Commentariis ejus in Minorit. Regulam epiſtolam præmiſit. J. H. Hottingerus in Hiſt. Eccleſ. S. XVI. P. II. p. 584. eum nominat virum ut genere doctrinaque clarum, ita pietate humanitateque longe clariorem.

miles Rhodius, vir mire feſtivus & doctus & eloquens, mihi egregie a D. Martino Luthero commendatus, Franciſcus Lambertus, alioquin Serranus, Avenionenſ. Delphinates, & Claudius a Tauro. Non alienum erit ab hoc loco, aliquot integras Lamberti epiſtolas e theſauri Krafftiani autographis exhibere, cum varia, ejus hiſtoriam illuſtrantia, contineant.

Principi Illuſtriſſimo & Domino Domino Friderico Sacri Imperii Archimareſchallo, Saxonie Duci, Landgravio Duringiæ, Marchioni Misnie, Franciſcus Lambertus Avenionenſis inutilis Domini noſtri Jeſu Chriſti Servus. Gratia & Pax Chriſti Jeſu. Amen.

PLacuit miſericordie Salvatoris, ut pauper is qui has ad Illuſtriſſimam D. T. literas dedit, poſt innumeros labores atque pericula, in terram quam ſinceri Chriſti fideles inhabitant, perveniret. Vidi, quos tamdiu concupivi, te viſurus quum id conceſſerit Dominus. Inveni apud Wittembergam, qui me apud Gallias agnoverunt,

runt, & jam amplius latere non poſſum, fateor ingenuè, me apud Minoritas viginti annis fuiſſe, & in Dei verbo complura ab eisdem perpeſſum. Profeſſione fui inter eos numeratus, quos Apoſtolicos ſive generales prædicatores vocant. Apoſtolici dicuntur non a Papa, ſed quod Apoſtolorum exemplo eos per varias orbis regiones prædicare Evangelium neceſſe ſit, & id quidem quottidie oblata oportunitate. Igitur verbi miniſterio ſuſcepto, dum ſcolaſticis minime concors eſſem, tantum afflictus fui ab hypocritis & falſis fratribus, ut me ab Evangelii miniſterio ſancto niterentur penitus reddere alienum. Sed ereptus fui a Deo miſericorditer, qui eduxit me ab Hur Chaldæorum iſtorum. Tractatum poſt aliquot dies (Chriſto juvante) emiſſurus ſum, in quo hiſtoriam meam, & cauſam mei adventus plene referabo. Tunc qui volet, ſcrutabitur conſilium Domini, quo larvas & feces mundi, ut vitentur cunctis manifeſtat. Horum nihil, his literis recenſebo, ne illuſtriſſimam d. tuam fruſtra impediam. Veni igitur Wittembergam ut verbum ſanctum libere adminiſtrem, ſaltem ſcriptis, ſaltem inter doctos. Aliquid noſtri Martini con-

consilio exordiar, vel Oſee Prophetam vel psalmos, vel Lucam, vel aliquid tale. Sed per Christum obsecro, ut jubeas mihi aliquod auxilium dari. Pauper sum, non habens quo alar. Credo me a Domino evocatum ad Martinum, ut frater fratri auxilio existens firmam pariter arcem edificemus. Non te conturbet insania Ecclesiæ malignantis, quæ in malum proficit, ut deficiat, & penitus evertatur. Justos sustinere nonnihil necesse est, sed cessabit quassatio. Gallia pene omnis commota est, & absque magistro sinceros habet veritatis dilectores, cum post modicum alia pleraque intellexeris, exultabit Spiritus tuus in Deo salutari nostro.

Namque negocium Evangelii, etiam post discessum meum, mire apud illos profecit. Et confido, quod dum scripta viderint, illius quem quandoque audierunt prædicantem magis magisque proficiet. Occultavi hactenus nomen meum, quod cognitum sit quasi per totum minorum ordinem à fratribus multis, a quibus timui sustinere impedimenta, sed non omnino absque ratione nomen hoc mihi confinxeram, ut Johannes Serranus vocarer, qui in veritate Franciscus Lambertus

tus ſum, natione Avenionenſ. Juva nunc pauperem Chriſti in opere ſancto, o Princeps Illuſtriſſime & idem Chriſtianiſſime, ut Chriſti nomen in terra tibi ſubjecta magis magisque glorificetur, cujus gratia & pax tibi ſemper Amen! Wittembergæ. ad 13^m. Kal. Febr. anno 23mo. ſupra mill^m. & quingent^mum.

Ejusd. Illuſtr. Dno.

Tue humilis orator Franciſcus Lambertus.

Illuſtriſſimo & eidem, Chriſtianiſſimo Principi & Domino Domino Friderico, Sacri Imperii Archimares. Electori, Saxonie Duci &c. ſibi in Criſto obſervandiſſimo.

X. JEsus Amen.

GRatia & Pax Jesu Christi tecum. Cujus nomen sit benedictum in eternum, quod me deduxit in locum tamdiu concupitum. Et quamvis Princ. III. id celarit a me, itidem & Scultetus, ut nesciam cujus expensis advenerim ab Isenaco, tamen arbitror nihil absque optimi Principis beneplacito factum, incepturus sum aut Oseam Prophetam, aut Psalmos, aut Lucam, aut aliquid simile, sed nihil absque nostri Martini consilio. Pauper sum, rogo igitur ut suggeras Principi Illustrissimo, ut nonnihil auxilii capiam, tantum, ut cum mihi administrante vivam. Non sum Jo. Ser. quod nomen confinxeram, non absque necessaria ratione. Franciscus Lambertus vocor, natione Avenionensis, qui apud Minoritanos fui annis XX. semper persecutiones & impedimenta sustinens ab eisdem, quamdiu Christi Evangelium sincere volui nunciare. Postmodum (Christi auxilio) tractatum emissurus sum, quo hystoriam meam a principio, & causas mei exitus certe vehementes, itemque fidem meam circa dissidia Ecclesiæ

Christi

Christi & Ecclesiæ malignantium cunctis faciam manifesta, & si inveniatur, qui imprimat, non tantum latine sed gallice & Italice, hec atque alia tradam. Erit, crede mihi, erit ad Christi Evangelii gloriam, & ut denudentur consilia larvatæ gentis, Pharisæorum nostri temporis, magnam habent rationem consolationis.

Principes Illustrissimi, ut suis temporibus, & in dominiis suis, revixerit Evangelium dudum a Scolasticis sepultum. Init Concilium Ecclesia Sathanæ adversum Dominum, & adversum Evangelium suum, ac illius dilectores sinceros, sed dissipabitur. Abbreviabuntur dies antichristorum nisi resipiscant, quod faxit Dominus. Amen. Nolunt intelligere, ut bene agant, credentes in Christum. Ceci sunt, & cecorum duces, nescientes Prophetas, legem atque Evangelia.

Illumina Deus oculos nostros, ne dormiamus in incredulitate, ne quando dicant adversarii isti, justitiæ Christianæ (quæ Christus est) prevaluimus adversum eos, utique fiat regnum hujus mundi Dei & Domini nostri Jesu Christi, cujus gratia & pax tibi semper! Vale Christianæ sapien-

tiæ

tiæ Doctor, & pauperis hujus memineris. Wittembergæ 13mo. Kal. Febr. anno 23. juxta mill^mum^. & quingent^mum^.

Tuus Franciſcus Lambertus Avenionenſis Domini noſtri JEſu Chriſti inutilis ſervus.

JEſus.

Georgio Spalatino Theologo vere ſincero a Sacris Illuſtriſſimi Principis & Domini Domini Friderici Saxonie Ducis, Electoris &c. patrono ſuo colendiſſimo.

Sal-

SAlvatoris noſtri Jeſu Chriſti Gratiam & pacem. Binas eodem die, â preſtantia tua adcepi literas quarum priorem Dominici Corporis VIII. die, poſteriorem Sabbatho poſt Barna. ſcripſiſti, in utrisque ingentem tui pectoris pro verbo ſancto ardorem, itemque pro me inutili quidem illius miniſtro ſolicitudinem, abunde cognovi. Placentque ideo admodum, quæ de vacante ſacerdotio admones, ac ſentis, cum hiſce caribdes ſcirtesque deſideratiſſimam animi quietem ac ſacroſanctum verbi miniſterium ſoleant impedire.

Tametſi credam in eum, qui me â reprobis malignantium conventiculis ſegregavit, ut filii ſui Evangelium libere nunciarem, quod nihil propterea minus in re Chriſtiana egiſſem. Teſtis enim mihi eſt Dominus, quod nihil me moverit, ſtulta hæc ſacerdotii facies atque ambitio, ſed ob id tantum amicis admonentibus, de eo cogitaveram, ut neque Principi Illuſtriſſ. neque auditoribus meis, neque alteri cuipiam, forem neceſſaria poſcendo moleſtior. Idcirco quæ facta ſunt, ut pius es, boni conſulere velis: ſuſcepi ergo conſilium tuum, haud ſecus atque patris

neceſſariam juſſionem, nihil in ea re admiſſurus, etiamſi me ad eam plurium vota advocarent. Symplegades vitare jubes, qui fiet, ut non ſemper acquieſcam, propoſiti quippe mei ſemper fuit, ut nihil unquam admitterem, quo in Chriſti negotio minus liberior eſſem. Interea ad id Chriſto propitio nitar, ut quod cepi adimpleam. Neque opus erit, ut te nimium ſolicitem, pro mihi neceſſario victu & cultu. Scit enim amicus (ut pro ingenita animi & humilitate & benevolentia vis appellari) & dominus meus, quid dilecto clientulo ſit neceſſum.

Magnus eſt Dominus & omnipotens providentia ejus. Petis demum ut quicquid noſtrarum lucubrationum excuſſum fuerit, tibi mittam, tametſi nihil tua ſit preſtantia dignum, faciam quod precipis, verum tardiores ſunt typographi quam ut brevi commentarii in Prophetas cudantur. Expecto ab illis in dies ἐξηγησιν in Minoritarum regulam, ac literas quas ad ſupremum regium Conſilium, ſive (ut vocatur) parlamentum totius patriæ Delphinatus, noviſſimè dilectiſſimo & nobili Claudio de Tauro dedi. Ubi autem imprimantur, me latet. Is enim qui adcepit, tantum a nobis

libros

libros pretio redimit, quos demum ubi oportunum viderit cudendos tradit Sic & ego aliquot illi opellas tradidi aliorum exempla ſententiamque ſecutus.

Gallice item nonnulla edere cepi, quod ad me ex Amburgo nuncii advenerint, tractatus Gallicos poſtulantes. Ajunt enim quod illic ſit, qui ea lingua, elimatiſſimos poſſit cudere libros; quos demum navigio in Gallias mittit. Necdum tamen aliquid concluſimus, donec prius quid poſſit experiar, cujus rei ſpero me certitudinem brevi ſuſcepturum. Faxit D. O. M. ut inveniatur qui Gallicè id imprimere poſſit, cum nihil in ea re conducibilius Galliis arbitrer futurum. Nunquam enim apud Germanos ſic veritas profeciſſet, niſi Chriſtianiſſimus noſter Martinus tractatus etiam vulgares edidiſſet. Tu quoque ut audio, noviſſimam locorum communium editionem vulgarem feciſti, unde & ſtudio tuo & Germanorum utilitati congratulor. Abundat Germania verbo, miſerrime autem Gallorum Italorumque plebes fere illius eſurie diſpereunt; DEus miſereatur illorum & benedicat eis, illuminet vultum ſuum ſuper eos, & illorum miſereatur, ut cogno-

ſcant in terra viam ſuam in omnibus gentibus ſalutare ſuum. Amen!

A Galliis nihil recepi novi, Operior quid mihi reſcripturi ſint prædicti Conſilii Senatores, Illuſtr. D. de Camera Sabaudiæ Comes ſupremus & aliquot alii Domini, quibus ſcripta direxi. Noſter Eques D. Annemundus Coctus, nondum abſceſſit. Expectat autem fideles itineris Comites. Noſti enim quanta nunc undique pericula ſint. Is preſtantiam tuam in Chriſto ſalvam eſſe exoptat. Dediſſetque nunc ad te literas, niſi eum, qua diebus aliquot preſſus fuit, infirmitas vetuiſſet. At, Chriſto propitio, brevi ad te ſcripturus eſt. Servavi, ut quæ tibi dixeram de aliquot aliis Galliæ Principibus, ipſemet exequatur. Ideo illi noſtras literas tradam, cum in negocio Chriſti ſit juxta ſinceriſſimus & ardentiſſimus.

Quod de modis omnibus egregio jure conſulto d. Doctore Hieronymo ſuades inter præcipuos habendum patronos mihi jam perſuaſiſſimum erat. Verum nihil eſt in me, quod apud vos de hoc vermiculo tam honorifice, ut ſcribis loqueretur.

Egit

Egit hoc pro multa ſua pectoris ingenuitate, atque in virum immeritum, charitate ſinceriſſima. Confido in Deum meum, quod & Illuſtr. Princ. & te, & illum, non oblito Eccleſiaſte noſtro, patronos mihi in exilio meo dederit.

In prioris epiſtolæ calce pro coronide adjeciſti, rem profecto conſultiſſimam, ut ſcilicet, quicquid â te voluero, id ſcriptis non præſentia agam.

Quod tametſi non ſcripſiſſes, quid hinc pro tempore emergere poſſit, ipſe mecum ſepenumero cogitavi. Sufficit quod me ſemel admiſeris, egerisque ut Chriſtianiſſimi Principis, quoad fieri potuit, optato & venerando aſpectu potirer. Gratias veruntamen immenſas refero, quod me promoveris, & pro benevolentia quam mihi oſtendis, gaudeo vehementiſſime. Obſecro autem prudentiam tuam per Chriſtum, ut in quibuscunque tibi videbitur & mihi conſulere & me commonefacere velis. Etenim & conſilia & admonitiones tuæ mihi erunt perinde atque oracula Dei, & Domini noſtri JEſu Chriſti. Cujus pax & gratia tecum, & bene in eo vale, optime Spal. orans, ut

per nos miſteria ſua ſinceriſſime tractet. Wittembergæ, die Dominico poſt Barnabe diem M^mo. CCCCC^mo. XXIII.

Tuus Clientulus Franciſcus Lambertus.

Sincerioris Theologiæ integerrimo aſſertori Georgio Spalatino Illuſtr. Sax. Ducis Frid. A Sacr. concionibus patrono ſuo obſervandiſſimo.

Chriſti

X.

CHriſti graciam & pacem, quia nuper ad te literas dedi Spalatine doctiſſime tuoque in domino mihi datum eſt colloquio frui, nunc brevibus agam. Nondum aliquid inchoavi occupatus multis ſcriptis potiſſimum, quæ pluribus in Gallias miſi. Junior quippe Nobilis Claudius de Tauro abiit. Scripſit Doctor Martinus Regis Galliæ Advocato noſtris deſideriis acquieſcens. Isdem enim advocatus multa apud Regem poteſt, & rei evangelice deditiſſimus eſt. Eques noſter nondum abiit, qui preſtantiam tuam in Chriſto ſalvam eſſe cupit. Quæ in ſecreto a me accepiſti, non efficiam, per omnia tuis conſiliis acquieſcens. Excuſabit noſtra conditio, ſi quid immodeſtiæ, de me tibi in mentem inceſſit. Satis intelligis quid velim, quod ad lectiones attinet, nihil agam ſine Doctoris Martini conſilio. Non ſatis decrevi quid prælecturus ſim. Pſalterium Epiſtolæ & Prophetæ lecta ſunt. Forſan ſi aliud a prædictis legero, aut Apocalypſin, quamvis miſteriis plenam, aut aliud quiddam, non ſine conſilio aggrediar. Tu juva me apud Illuſtr. Princ. ſicut meam noviſti neceſſita-

tem. Erubesco enim quod Christianissimi nostri Martini impensis sustinear. Si possem vel saltem aureos 10. in angustia habere, possem utcunque cum familiari vivere, & auditoribus non essem onerosus, donec aliunde Dominus mihi auxilium mittat. Cujus gratia & pax tecum sit Amen. Vale sinceriſſime Evangelista. Wittembergæ 5. Kal. Junius anno 23. supra milesimum & quingentesimum.

Tuus Franciscus Lambertus Avenionens.

Venerando Christi servo Georgio Spalatino Evangeliste aulico Saxoniæ sincerissimo, suo in Christo Majori.

Christi

x.

CHriſti gratiam & pacem. Quam apud Illuſtriſſimi Principis arcem de Locha oſtendiſti Chriſti pauperi dilectionem dum me in tuis & domo & cubiculo ſuſcepiſti, literæ tuæ quas apud Equitem noſtrum reperi, abunde teſtabantur; Quis ego homuncio ut illius ſcripta & vere adhuc immatura, tantum expoſtules. Video quod totus ardes in verbum Dei cujus Zelum in ſcientia habes. Id facit, ut etiam minores, vel incompletas editiones depoſcas. Si gratum tibi judicas idque mihi notum ſit, ſpondeo, quod etiam ſi diſceſſero Lucam totum, Evangelion ſcilicet & acta, tuo nomini dicanda, typographis tradam.

Tantum ora, ut vita comite, & Spiritus Chriſti illuſtratione idem opus emendatius exeat.

Quod ad rem meam attinet, miſi ſupplicationem ad Principem Illuſtriſſimum quam vide & fac ſicut noſti, ſi me juveris univerſas prorſus Gallias juveris.

Proponimus enim quicquid poterimus in re Chriſtiana gallice tradere. Mutatio (utinam ſicut confido) dexteræ excelſi.

Poſteaquam prædicta ſcripſi, venit ad me eques noſter, & cepta omittere compulit,

donec iterum noſtrum Martinum Chriſtianiſſimum itemque Philippum Melanch. conſulerem; Philippus namque pro ſua charitate præmonuit illum, ut hæc mihi diceret, Veni ergo ad illos, & omnia reperi immutata. Suadet optimus ipſe Eccleſiaſtes, ſuadet & Philippus ne prius diſcedam quam D. Eques, per ſemetipſum conſpexerit, an vera ſint, quæ nobis dicta fuerunt, interea quicquid in facultate eorum fuerit, mihi offerentes. Vere devincitis nos vobis omnes.

Suſcepiſti me tu hominem alienigenam inter alia in proprium cubiculum, videbare ſuper vermiculi diſceſſu triſtis eſſe, Eccleſiaſtes & Philippus mihi timent, & pro me mire ſoliciti ſe & ſua offerunt, ut omnes vos Chriſti diſcipulos agnoſcere compellar.

Demum qr. ſapienti ſufficit rem palam feciſſe, ſi quid egiſti cum optimo Principe videris quid magis ſit faciendum. Rem noſti. Tantum obſecro ut ſicut in ultimis literis ſpopondiſti nonnihil ad munus adjungi quantum poteris facias. Ego autem viciſſim faciam quæ adhortatus es, & Lucam totum tibi dicandum, ſi placuerit, Domino miſerante complebo. Vere gaudeo propter vos omnes, quod nondum ab-

abſcedam, ut vobis iterum fruar in Domino, a quo eſt noſtrorum operum concluſio, tametſi varia ſepenumero proponamus, Cui gloria & imperium in ſecula Amen.

Annotationes meas brevi recipies. Non enim reperi eum qui ſcripſit illas. Bene valeas in Chriſto, cujus gratia tecum. Wittemb. hac Dominica poſt Aſſumtionem 1523.

Salutant te D. Joh. Pome. cum ſponſa ſua.

Salutat quoque te D. Eques, & Chriſtina Soror.

Tuus Clientulus Franciſcus Lambertus.

Viro Chriſtianiſſimo Georgio Spalatino Aulæ Illuſtriſſimi Principis Saxoniæ Ducis Friderici Epiſcopo, ſuo in Domino Majori & Patrono.

§. 7.

§. 7.

Eodem anno MD XXIII. die Joannis Baptiſtæ Lambertus noſter cum honeſta virgine Wittebergæ ſponſalia fecit, ut legitimo matrimonio prurientis carnis illecebras reprimeret. Eorum hiſce meminit Spalatinus in diario ſæpe laudato: *die Johannis Baptiſtæ VIII. Cal. Jul. ſcripſit mihi Franciſcus Lambertus Avenionenſ. Theologus, olim Jo. Serranus, idemque Minoritanus, ſeſe Wittebergæ Piſtoris Hertzbergenſis filiam puellam, adnuente patre ejus & filia, duxiſſe uxorem, habiturumque ita volente Patre puellæ, nuptias ad diem Margaritæ. De qua re Andr. Pretynus meus ſic ad me in profeſto Apoſtolorum Petri & Pauli ſcripſit. D. Franciſcus Lambertus Gallus, homo tibi & omnibus nobis bene notus, uxorem ſtatim ducet puellam D. Auguſtini Schurff Medici famulam. Sic boni homines ex his ſatanæ laqueis, quibus antea captivi tenebantur*, (forte addend. liberati) *utuntur bona Dei creatura in remedium, qui ſe viros a Deo creatos eſſe ſciunt. Det Deus Opt. Max. ut idem omnes agnoſcamus.* En ipſas Lamberti epiſtolas, ex autographo Krafftiano a me deſcriptas, in quarum priore is Spalatinum de ſponſalibus ſuis certiorem

tiorem facit, eorumque rationem reddit, in poſteriore vero pro dono, ni fallor, nuptiali gratias agit.

X.

GRatia & Pax a Domino noſtro JEſu Chriſto. Accepi nudius quartus literas tuas, optime, & idem doctiſſime, Spalatine, quibus ingentem erga me animi tui benevolentiam proteſtatus es. Speras aliunde, quam ſacerdotio ſuperſtitioſo, mee inopie providendum, ſpero & ego in Dominum quod per te & per alios mihi aliter providebitur. Interea accidit quod te latere haud quaquam volui; ſcis me nuper tecum nonnihil de re uxoria tractaſſe, pandens quod mihi neceſſarium erat honorabile connubium in omnibus, thorus immaculatus. Nollem ſicut nec unquam fui ſcortator eſſe, nollem etiam immunditias. Scis autem quantum poſſint, qui non habent donum. Urgeor fateor, & a carne, cui ſi conſenſero, pereo. Itidem & a verbo Dei mihi id præcipiente, ut ne vel corde fornicationem admittam, anguſtiæ mihi ſemper fuerunt undique. Miſerere igitur, o venerande Chriſti ſerve, & mihi hoc dona ut non ſcandalizeris, pro his quæ acciderunt, & age apud Clementiſſimum Principem

pem, ne illum male habeat quod verbi Dei imperio feci. Vere, impediebar admodum a verbo & lecturis propter ſtimulos carnis & vere continuos. Hac die una circiter hora antequam id ſcriberem inter puellam quandam filiam piſtoris cujusdam Erzerbergenſis patre & filia conſentientibus, & me, factum eſt, legitimi matrimonii promiſſum. Et ne te aliquid lateat, a patre, qui Wittebergam hujus rei gratia venit, dies nuptiarum conſtitutus eſt dies ſ. Margaritæ. non absque conſilio noſtri Martini viri Chriſtianiſſimi. Factum eſt quod uxorem acceperim. Vere hic ſcrupulus ſemper in me fuit, quod timui Illuſtriſſimo Principi & tibi pro hac re gratus haud quaquam eſſe. Sed quid timui, diſplicere viris Chriſtianiſſimis, quibus nil gratius eſt, quam ut verbum Domini obſervetur & maneat in eternum. De his abunde alio tempore ſcribam, Germani pro his non ſcandalizantur neque ex Galliis peritiores. Pro Galliæ ſimplicioribus quibus tractatum Chriſto propitio ſcribere cepi. Quod ſi tandem quipiam offenſi fuerint, mihi pro minimo eſt, ſciens quod Chriſtus verbumque ſuum atque obſervatio illius, ſit in ruinam & reſurrectionem multorum & quod illi contradicetur.

Scio

Scio quod occupatior ſis quam ut ad nos venires, ſi rogaremus ut nuptiis intereſſes. Ora vir Chriſtianiſſime ut verbum Domini in nobis proficiat ſemper. Confido in Deum meum quod liberius negotium Chriſti efficiam; liberatus a quottidiano animæ meæ periculo. Eques noſter D. Annemundus te ſalvum in Chriſto eſſe optat qui mox abeunte tabellione haud quaquam ſcribere valuit. Gratia & pax Domini noſtri JEſu Chriſti tecum ſemper Amen. Bene vale ſinceriſſime Theologe. Wittembergæ die S. Johannis M. D. XXIII.

Tuus Clientulus Franciſcus Lambertus.

X.

Viro Chriſtianiſſimo & vere ſincero Georgio Spalatino Illuſtr. Sax. Ducis Friderici a Sacris concionibus patrono ſuo obſervandiſſimo.

Gra-

GRatiam & Pacem Chriſti JEſu. Quemadmodum ſeminantibus gratus eſt oportunus aër, aut atro jactatis turbine nautis mare tranquillum, ſic mihi fuerunt literæ tuæ, mi ſuaviſſime Georgi Spal. quibus principali Illuſtr. Principis, atque tua munificentia carnem ferinam adjeciſti. Suaſerant mihi quidam, ut abs te primum ex ea aliquid poſtularem, ſed quod petere, haudquaquam præſumere volui, preſtantiæ tuæ benevolentia fecit. Agis demum ſolicitum patrem familias, id curans, ne miſſæ carnes ante nuptias pereant. Quid tibi retribuam pro omnibus quæ retribuis mihi, non habeo. Ergo me ipſum habe, qui tuus in Chriſto eſſe volo. Super quam dici poſſit, me tibi devinxiſti, & exilaraſti hominem non nihil pro rei novitate, de ſemetipſo territum, quod mei nunc recordatus ſis, quod Clementiſſimi Principis, atque Excell. tuæ Chriſtianiſſima pectora hoc indicio patentiſſime agnoverim. Lætata quoque eſt clariſſima ſoror, quam mihi tradidit in auxilium DEus, cui & mihi miſericorditer largiri dignetur, quæ in Chriſto nobis precatus es. Gaviſi item ſunt amici plures, qui arbitrabantur conjugium noſtrum optimo Principi, haud fore acceptum.

ptum. Per omnia benedictus Deus. Amen. E Gallia hoc ſaxum primus evolvi; tu ora ut plurimi ſequantur, & nephandiſſimis libidinibus, quibus ſpurcus ille hypocriticusque cœlibatus abundat, omnis terra purgetur. Ora etiam ut talem me in lectionibus, & conjugio, & reliquis exhibeam, ſicut me fuiſti chriſtianiſſime adhortatus. Confido autem in DEum, quod nunc liberius in omnibus agam, videns, Chriſti miſericordia me ſub Principis Illuſtriſſimi Imperium plene eſſe translatum. Tu autem (ut vere toties expertus ſum, & feciſti) novi hominis novi Wittebergenſis & ejusdem laborantis recordaberis. Salutavi, ut juſſiſti, Equitem noſtrum Dominum Annemundum, a quo & literas habes, cui ingens gaudium fuit, dum quæ a præſtantia tua miſſa ſunt intellexit. Gratia autem & pax Chriſti tecum ſemper, in quo bene vale mi obſervandiſſime patrone. Wittembergæ Sabbato poſt viſitationem beatæ Mariæ Anno Chriſti M. D. XXIII.

Clientulus tuus Franciſcus Lambertus.

Theologo vere ſincero Georgio Spalatino Illuſtriſſ. & ejusdem Clementiſſimi Principis Saxoniæ Ducis Friderici a Sacris Concionibus Majori & Patrono ſuo in Chriſto obſervandiſſimo.

Forte quis existimaverit, occultandas potius fuisse & opprimendas has literas, quam divulgandas, cum animum Lamberti cœlibatus impatientem, donoque, quod vocant, continentiæ haud præditum nimis manifeste ob oculos ponant. Sed breviter respondeo illi sit: licet etiam propterea Franciscus noster, Vir tum XXXVI. annorum atque adeo in vernanti ætatis flore constitutus, culpandus atroque carbone notandus foret, quod salva animi puritate & illæsa conscientia extra conjugium se amplius vivere haud potuisse ingenue fatius sit, (quod tamen vix ac ne vix quidem evictum iri arbitror) recensenda tamen ea a me fuisse candide, cum cordati historici sit, non virtutes duntaxat, sed & vitia illorum, quorum vitam describit, enarrare. Deinde sincerum pectus & candor ejus potius laude dignus esse mihi videtur, qui longe abfuit ab eorum moribus, qui, etsi illibatam castitatem ad nauseam usque verbis ostentent, re ipsa libidinosis flammis continuo agitati nefanda impuræ Veneris castra sequuntur. Ipse profecto Lambertus adeo hanc rem non dissimulavit, ut potius in publico scripto, eoque ad Franciscum Galliarum Regem directo, eam pluribus exponere veritus

ritus haud ſit. Commentarium ſcilicet de Sacro Conjugio in poſitiones LXIX. partitum, & Norimbergæ apud Jo. Petrejum excuſum A. 1525. edidit, ubi in dedicatione ita inter cætera de ſe ſcribit: *Prater ſpem ne immundus aut ſcortator eſſem, uxorem duxi. Stupeo idcirco ſæpenumero pro re hac, ſciens quod nihil tale unquam de me futurum olim cogitaſſem, & ſupra quam dici poſſit, quid de me fecerit DEus, vehementer admiror, ac perinde atque in extaſin hujus rei memoria rapior. Enimvero hæc acerrime toties perſecutus ſum. Verum non ideo caſtus eram coram Domino, quod animo continuo urerer. Externe quidem cœlebs eram, ſed non videbam tum cœcus, quod, ubi quis uritur, pro luxuria coram Domino computetur. Quandoquidem de internis maxime judicat DEus, & ab animo univerſa metitur. Mulierem tum non tangebam, neque aliam Dei munere habui præter legitimam. Sed ad quid hæc, dum in mulierum concupiſcentia vixi. Scio ego certiſſime, quod uri turpius & detestabilius ſit omnibus, quæ in ſacro conjugio accidere unquam poſſunt. Nimirum nihil impudicitiæ, ſed vera caſtitas in eo eſt, ſicut in ſequentibus commentariis abunde patebit.* Deinde ſe tum in gravi aduſtione & mu-

lierum desiderio vixisse profitetur Vir cordatus, quod ejus regni civis fuerit, quod juxta Danielis vaticinium Cap. XI. vivit in concupiscentia fœminarum. Notabile vero est, Lambertum nostrum e Theologis Galliæ primum sacra conjugii vincula subiisse, uti ipse in literis ad Spalatinum modo exhibitis testatur, nec non in epistola ad Franciscum I. Galliarum Regem exarata, & Commentario de Conjugio præmissa.

§. 8.

Anno sequenti MDXXIV. Witteberga relicta, Metas, Lotharingiæ urbem, profectus est vir, divino plenus Zelo, hac fini, ut inter Gallos suos cœlestia salvifici verbi semina spargeret, Ecclesiæque pomœria, quantum in se esset, proveheret. De hoc Spalatinus in Diario: *Franciscus Lambertus Avenionens. Theologiæ Doctor, olim Minorita, ex Witteberga Metas ad ministerium verbi vocatus in Quadragesima abiit ex Saxonibus.* Anno jam superiori mense Augusto Lutherus, teste Sekendorfio (*n*), ad Spalatinum scripserat, nostrum Tigurum abiturum esse, ut

(*n*) l. c. L. III. §. XV. f. 40.

ut Galliæ propior ſit, viaticum pro eo apud Fridericum Electorem procurandum petens. Iter vero illud Metenſe, inconſulto Electore Friderico, tum in Imperii conventu Norimbergæ (*o*) verſante, invito etiam Luthero, Melanchthone aliisque amicis, a ſe ſuſceptum eſſe ipſe confitetur Lambertus in dedicatione Commentarii in Oſeam, Friderico inſcripta, unde nonnulla huc transtuliſſe juvabit, cum ibi ſimul fata, quæ eo in itinere expertus eſt, enarret. *Moleſte forſan tuliſti, quod ante ferme annum abierim a terris imperii tui, contra omnium amicorum, etiam prædicti Martini atque Philippi Melanchthonis conſilium, & non expectato beneplacito Illuſtriſſ. D. Tuæ, quæ tum erat Nurembergæ, aut in via ab ea. Sed quisquis propterea adverſum me iratus fuit, ſic obſecro iraſcatur, ut non peccet. Vere enim vocavit me Deus, & præcepit, ut exirem e Wittemberga, veniremque ad Metenſes, & in eventum, quo non me ſuſtinerent illic docentem Chriſtum, venirem Argentoratum, aut in aliam e civitatibus Germaniæ, terris Gal-*

(*o*) Inter Spalatiniana Bibliothecæ Krafftianæ MSta reperitur etiam ἰδιογραφον Spalatini Diarium Profectionis Electoris Friderici ad conventum Noribergenſem. vid. Amœnit. T. III. p. 104.

liæ vicinioribus, ut ipsis fratribus per Gallias proximior adeoque utilior fierem, donec alio vocarer. Instabat jussio Dei, proinde mox abire coactus fui. Alioqui nulla erat requies obsistenti. Nullus fuit contemptus, nullave ingratitudo erga Celsitudinem Tuam. Qui enim fieri potuisset, ut non agnoscerem tanti Principis dignationem? Absit. Ego siquidem & mei tui erimus semper, ubi ubi fuerimus, parati ad omnem jussionem tuam in Domino. Abiens denique e Wittemberga veni ad Metenses, ubi magno gaudio civibus mei adventus causa exultantibus insaniebant adversum me præscripti Sanaballitæ & Azotii, sitientes sanguinem meum. Convenerunt enim Pharisæi non pauci adversum me in consistorium urbis. Dominus autem me liberum fecit a manibus eorum. Quid ultra? Tam adversum me insanierunt, ut vel coactus venerim Argentoratum. Erat tum Metis S. Dei propheta, Joannes Castellanus, vere Christianus. Is tam constanter anno superiore illis Christum annunciaverat, ut ad ejus conciones properarent vere populi. Hujus Castellani posthac siniſtra fata, novem mensium captivitatem, ac fortissimam pro Christo ad necem usque dimicationem pluribus magno zelo describit, de ejus martyrio hæc præter alia verba

fa-

faciens: *Servus Dei stetit immobilis, nihil territus imminente incendio, degradationem, ut vocant, jucundissime ferens.— Damnatus autem a perditis illis, mox pedibus ivit quasi ad epulas, ad incendii locum. Quo ubi pervenit, complicavit genua ad orationem. Qua finita, surrexit, & se obtulit vinciendum lictoribus ad ligna præparata, moxque incendio, hac vere insigni victoria, fuit in Christi martyrem consecratus. Sic triumphavit de veritatis hostibus invictissimus & strenuissimus Christi miles, bonum certamen certavit, cursum consummavit, fidem servavit. Nunc vere beatus & felix quiescit in Domino, justitiæ coronam repositam habens.* Sed & e reliquis quædam adjicere lubet de hoc martyre, alioque Christi confessore. *Novi illum ex intimis. Fuit etenim mihi perinde atque Jonathas Davidi. Quinquagenarius circiter erat, insigniter eruditus, professione theologus, maturus, constans, intrepidusque veritatis confessor, præsentia & adspectu venerabilis, cujus sermo sicut faculæ ardebat. Populus autem Metensis audiens Prophetam suum defunctum, supra quam dici possit, mœrore adfectus est. Excitavitque Deus aliquot ex eis millia, & irruerunt in præscriptorum incendiariorum ac Pharisæorum ædes, & libe-*

rarunt e carceribus ſervum Dei Joannem Vedaſtum ex Inſula Flandriæ, quem dicti homicidæ ad incendium mox, ut fertur, rapere volebant. Hunc tum in ædibus ſuis Argentorati commorantem Gallicis ſcriptis adverſarios refellere deinde memorat noſter. In epiſtola quoque ad Franciſcum Galliæ Regem, Commentario in Canticum Canticorum præfixa, de expeditione ſua Metenſi mentionem faciens, Senatum urbis civesque veritati non contradicentes ſe inveniſſe refert, ſed Inquiſitorem & Monachos hoſtes eſſe expertum acerrimos, qui ipſum capere voluerint, niſi Senatus obſtitiſſet. *Quam ob cauſam* (addit ibi) *videns, me nihil poſſe illic in verbo proficere, civibus multis nonnihil adhuc timentibus, veni Argentoratum feliciſſ. urbem, quam Dominus mirifice ſuo verbo illuxit. Illic operior, donec volente Domino aut denuo ad ipſos Metenſes aut in aliquam urbium Galliæ revocer. Melius eſt enim, ut in Germania manens, ſaltem ſcriptis aliquid agam in Evangelio ſancto, quam ſi absque fructu ad Gallias adcederem. Mox enim clauderetur os meum, niſi Dominus per Chriſtianiſſimam Majeſt. T. mihi id liberum tutumque faceret. Sic clauditur os canentium & annunciantium veritatem.* In tra-

ctatu

ſtatu de vocatione fidelium in regnum Chriſti Cap. XVI. p. 13. ſq. ſcribit, ſe ad Metenſes vocatum, cum hoſtes ſe quærerent extinguere, etiam antequam veritatis ſermonem vel ſemel tantum pronunciaſſet, neceſſario Argentoratum abiiſſe, ut inde ſaltem ſcriptis, poſtquam voce non licuit, Chriſtum doceret, & ne absque fructu & ante tempus raperetur ad tormenta: paratum autem eſſe in Domino & potentia virtutis ejus, & Romam & ad Metenſes & quoquo ire, ſi id Deum velle agnoverit, etiamſi ipſi foret e veſtigio moriendum. In Farragine denique omnium fere rerum theologicarum p. 51. ſe Metis ab adverſariis ad nonnullas propoſitiones adfigendas invitatum, illis ſemel 116. propoſuiſſe, easque in hac farragine ad 385. adauctas ſiſtere memorat, hæc verba adjiciens: *Non ſibi adulentur — quod — ob ſimilium prædicationem ſtrenuiſſimum Chriſti teſtem, ſanctum Joannem Caſtellanum, olim Jonathan meum chariſſimum, noviſſime, hoc eſt, duodecima hujus Menſis Januarii MDXXV. apud Vui oppidum Lotharingiæ ignibus Chriſti martyrem fecerunt. Nam pro eo pugnabit Deus adverſum eos, & pro uno mille ſuſcitabit. Et ſi me quoque occiderint, & hac martyrii gloria*

me dignabitur Chriſtus, pro me decem millia ſurgent.

§. 9.

Metis itaque adverſariorum violentia pulſus, Argentoratum fugit, ibidemque quietem ac otium nactus, pleraque ſcripta ſua in publicum emiſit. Commendatus vero dehinc ob egregias, quibus ſummus omnis boni largitor eum liberaliter inſtruxerat, dotes Philippo Magnanimo, Haſſiæ Landgravio, terras ſuas reformaturo, An. MDXXVI. Homburgum vocatus, in Synodo ibi congregata menſe Octobri nonnullas theſes, quas paradoxa (*p*) appellavit, publicæ diſcuſſioni expoſuit. *Hæc paradoxa*, verba ſunt Abrahami Sculteti (*q*), *publice affixa ſunt Homburgi: quo convenit ingens ex omni Haſſia multitudo; adfuit quoque Illuſtriſſimus Princeps ipſe, & per Cancellarium ſuum* (Jo. ſcilicet Ficinum) *poteſtatem omnibus fecit, adverſus Paradoxa iſta diſputandi; atque iis quidem, qui Latine vellent, cum Franciſco Lamberto; contra iis, qui Germanice*

(*p*) Hæc inter Spalatiniana Bibliothecæ Krafftianæ MSta extant; edita vero eſſe Erfurti A. 1527. e Relationibus innoxiis A. 1709. p. 23. didici.

(*q*) In Annalibus Evangelicis f. 102. edit. Helmſtad.

nice vellent, cum Adamo Cratone Fuldensi. Uterque istorum themata promulgata Franciscus Latino, Adamus Germanico sermone explicuere, nemine contradicente, nisi Nicolao Herborn Minorita, Guardiano Marpurgensi, & M. Jo. Sperbero: qui in disputatione illa confusi, deserta Hassia, alio se receperunt. A disputatione Landgravius e monasteriis & cœnobiis monachos & moniales exire jubet: reditus Monasteriorum ad Academiam Marpurgensem, ad quatuor item Nosocomia transfert: idola e templis ejicit: Ecclesiis fidos pastores præficit, Adamo Cratoni suprema doctrinæ, rituum ac disciplinæ ecclesiasticæ inspectione commissa. Hujus Synodi acta Cassellis ab amico secum communicata fuisse memorat Hottingerus (*r*). Nicolaum autem Herborn aliqua contra Lambertum posthac scribere molitum esse colligo ex sequenti Euricii Cordi in ipsum, quem nostri æmulum nuncupat, epigrammate (*s*).

Grande

(*r*) In Histor. Eccles. Sec. XVI. P. III. p. 648.

(*s*) Epigramm. L. IX. p. 233. In Historie der Gelehrtheit der Hessen p. 29. memoratur, Nicolaum hunc contra Lambertum edidisse libellum convitiis plenum Coloniæ A. 1527. in 8. hoc titulo: *Von denen dreyen Gelübden der München und Geistlichen, dem Gehorsam, Armuth und Keuschheit.* Scilicet *parturiunt montes* &c.

Grande in Franciſcum te fers ſcripſiſſe volumen,
Hac & vana tibi gloria parte placet.
Quinque licet ſcribas magnorum plauſtra librorum,
Nil agis, his armis prævalet ille tibi.
Quare conſilium fuerit temerarie noſtrum,
Vel bene, vel, ſi vis vincere, ſcribe nihil.

§. 10.

In recens conſtituta Academia Marpurgenſi Anno MDXXVII. primarii Theologiæ Profeſſoris munere decoratus, quin ſpartam ſibi commiſſam egregie ornaverit Vir laboribus aſſuefactus & otiari neſcius, nullum mihi eſt dubium, etſi de rebus ab eo hoc temporis intervallo ad mortem usque geſtis nihil mihi conſtet. Hoc unum tamen reticendum haud eſt, interfuiſſe ipſum quoque An. MDXXIX. colloquio, curante Philippo Landgravio, Marpurgi inter theologos Saxonicos, Suevicos & Helvetios aliosque inſtituto, ita vero, ut colloquentis partibus haud functus ſit, ſed ex voluntate Principis ſui auditorum tantum ſubſellia occupaverit. Si vera ſunt, quæ de hoc col-

colloquio refert Abr. Scultetus, (*t*) Lambertus Helvetiorum argumentis convictus, in articulo de S. Cœna Lutheri partes, quibus antea addictus erat, deſeruit. Ex ore enim Joachimi a Berge, Equitis Sileſii ſe accepiſſe tradit, ipſum Philippum Landgravium aliquando ad eum dixiſſe: *Exiſtimare quidem multos, colloquium iſtud ſine fructu abiiſſe, ſed vehementer eos falli. Nam & ſe & theologum ſuum Franciſcum Lambertam veram de Euchariſtia ſententiam in eo agnoviſſe: & ſe vix adduci potuiſſe Auguſtæ, ut ſubſcriberet Confeſſioni Auguſtanæ, cum proteſtatione: non ſatisfieri ſibi in articulo decimo.* Ad manus habeo Adami Chriſtiani libellum Germanico ſermone in octavi ordinis forma typis exſcriptum de Cœna Domini, cujus dedicatio & præfatio A. 1557. B. (fortaſſis Baſileæ) data eſt: huic annexa eſt Franciſci Lamberti eo de argumento epiſtola hoc titulo: *Ein gar ſchöner Sendbrieff D. Franciſci Lamberti von Avinion ſæligen, geſchrieben, nach gehaltnem Geſpräch zu Marpurg im MDXXIX. Jar. Darinn Er erzelt, womit er überwunden, daſs Er von ſeiner gefaſsten Meinung, der leyblichen Gegen-*

(*t*) l. c. f. 147.

genwürtigkeit und Nieſſung deſs Leybs Chriſti im Nachtmal, abgeſtanden ſey. Gar lieblich und nuzlich denen zu leſen, die dieſen Handel one Leſterung grundlich zu verſteen begirig ſind. Joan. VI. Mein fleiſch iſt warlich ein Speiſs: und mein Blut iſt warlich ein Tranck. In præfatione narratur, eum Marpurgenſi colloquio motum, Helvetiorum ſententiæ in articulo de S. Synaxi acceſſiſſe, hancque epiſtolam prelo ſubjicere voluiſſe, niſi morte præventus fuiſſet: ante vero obitum hanc confeſſionem ſuam nonnullis Argentinenſis Eccleſiæ miniſtris commendaſſe, ut eorum cura typis excuderetur, quo omnes in articulo de S. Cœna priorem ſe ſententiam abjeciſſe ſciant. *Dann ich will, daſs die gantze Wælt wiſſe, daſs ich ſo vil das Nachtmahl deſs Herren betrifft, einer andern Meinung worden ſeye.* Exipſa epiſtola, cum rarius obvia ſit, quædam decerpere lubet. Pag. 74. his utitur verbis: *Ich will diſen meinen Glauben vor der gantzen Wælt bezeugt haben, daſs ich namlich ſo gar gewiſs ſeye, daſs die menſchlich ſubſtantz Chriſti an iren ſelbs, weder im Nachtmahl, noch anderswo auff Erden ſeye, ſonder allein im Himmel: und daſs die Wort deſs Nachtmals figürlicher weiſs geredt ſeygind, alſo, daſs ich*

das

das Widerſpil nit leeren kondte oder mochte, ich wölte dann handlen wider das gwüſs Wort GOttes, und auch wider mein verſicherte Gwüſsne. Ich merck und verſton auch aufs gleicher Gwüſſenheit, Verſicherung und augenſcheynlicher Klarheit, daſs ich, als ich einer andern Meinung was, in dieſem Stuck betrogen und verfürt bin. Es ſind auch andere Stuck on yetz gemelte, in denen ich nie underſchrieben hab, noch weiter underſchreiben wird, darum daſs ich aus Göttlichem Wort genzlich beredt bin, ſy ſtimmend gantz nit mit der Warheit: aufs denen diſe dreii Stuck ſind, die hinnach geſagt werdend, und deren ich in vorgeenden Worten Meldung gethon hab. Das erſte, daſs Chriſtus, ſo vil und er ein Menſch iſt, weder yetz ſeye, noch ye geweſen ſeye wæſentlich gegenwürtig an einem Ort, und daſs er hiemit allenthalben ſeye wie ſein Göttliches Weſen. Das ander, daſs in der Geſchrifft, der Himmel welcher ob uns iſt, unter dem Wörtlin Himmel nit verſtanden werde, und daſs Chriſtus nach ſeiner Menſchheit in denſelbigen nie aufgeſtigen ſeye. Das dritte, daſs Chriſtus ſo veer er ein Menſch iſt, in demſelbigen Himmel nit ſitze zu der gerechten ſeines allerhöchſten Vatters, ſonder daſs dieſelbig gerechte Hand, zii deren man ſagt

daſs

daſs er ſitze, allenthalben ſeye. Das vierdte will ich darzu thun, namlich daſs man den Ban oder das Ausſchlieſſen in den Kirchen nit aufrichten ſolle, darumb daſs es für ein Tyranney möge gehalten werden. Si, uti in præfamine traditur, autographum hujus epiſtolæ apud Baſileenſes adhuc adſervaretur, idque cum edito exemplari ex aſſe conveniens; res hæc, meo quidem judicio, extra omnem dubitationis aleam poſita foret. At parum fidei confeſſioni huic, utpote a ſuſpectis perſonis publicatæ, tribuendum eſſe monetur in Relationibus innoxiis (*u*), adque Theologos Darmſtadienſes provocatur, qui Lambertum ad mortem usque Lutheri doctrinæ adhæſiſſe ſatis (*x*) evicerint. Ego, cum Darmſtadienſium ſcripto deſtituar, atque adeo eorum rationes expendere mihi non liceat, judicium meum ſuſpendo, ac nihil hic definio: interim hæc candide & hiſtorice duntaxat retuliſſe ſufficiat.

§. 11.

Paulo poſt Marpurgenſe colloquium Lambertus A. MDXXX. obiit peſte, uti in

(*u*) A. 1709. p. 24.
(*x*) In der Special Widerlegung. p. 266.

in præfatione epiſtolæ modo citatæ aſſeritur, vel ſudore forſitan Anglico (*y*), qui his tum in oris graſſans, magnas ſtrages edidit; vir pius, eruditus, laborum patientiſſimus, flagrantiſſimo pro agnita veritate Zelo præditus, variis fortunæ diſcriminibus jactatus,

Ore, manu, vita cupiens prodeſſe cuivis.

D. Chriſt. Eberh. Weismannus (*z*), Theologus Tubingenſis pietate, modeſtia ac eruditione Præſtantiſſimus hoc de ipſo fert judicium: *Virum fervidum, ingenioſum, intrepidum, ſenſuque religionis intimo præditum fuiſſe, acta & ſcripta illius teſtantur.*

§. 12.

Jam ſcripta Lamberti noſtri enarranda mihi ſunt, quotquot ego quidem cognita habeo. Sunt autem præter rationes, propter quas Minoritarum converſationem habitumque rejecerit, ſuperius exhibitas, ſequentia.

(*y*) De ſudore Anglico peculiarem tum tractatum edidit Euricius Cordus, Poëta & Medicus Marpurgenſis.

(*z*) In Introduct. in Memorabilia Hiſtor. Eccleſ. N. T. Tom. II. p. 124.

1. *Evangelici in Minoritarum Regulam Commentarii, quibus palam fit, quid tam de illa, quam de aliis Monachorum Regulis & constitutionibus sentiendum sit.* Præmissa sunt Matt. Lutheri & Annemundi Cocti Equitis Galli epistolæ in commendationem hujus libelli. In ipsius vero Lamberti præfatione, Wittebergæ mense Martio A. 1523. data ad universos Minoritanæ institutionis professores, plurimæ sectæ monasticæ earumque habitus recensentur. Liber in septendecim capita distinctus est. Ultimo de frigidissimis, uti vocat noster, constitutionibus Minoritarum, ac mendosis quibusdam revelationibus agitur, enarranturque septem privilegia, quæ beato Francisco revelata fuisse adfirmant, quorum secundum est, in Franciscano habitu neminem male posse mori; tertium, Franciscum in die festi sui omnes animas suorum fratrum & amicorum ac benefactorum ordinis sui a purgatorio liberare; quintum, nullum in ordine male viventem posse in eo diu perseverare; septimum denique, amicos ordinis, quantumcunque impii sint, tandem misericordiam consecuturos, & vi-

tam

tam concluſuros ſine beato. Et Lamberti poſtfatione Commentar. de conjugio perſpicio, hunc libellum a quodam in vernaculum ſermonem translatum prodiiſſe, ſed magna ex parte truncatum & corruptum, de quo ibidem conqueritur. Cæterum ægerrime tulerunt horum commentariorum editionem Franciſcanæ familiæ ſodales, e quibus Caſp. Schazgerus, Provincialis per ſuperiorem Germaniam in Operibus Ingolſtadii A. 1543. in fol. excuſis ita in noſtrum invehitur: *Allophylus quidam, qui cum refuga ſpiritu ab ſtatus ſui boni & ſalubris arce cecidit, datus in reprobum ſenſum, proſui caſus ſuorumque ſimilium coloratione contra ſtatum monaſticum argumentationes, verius autem calumnias & falſas impoſturas fabricavit, ſuæ obſtinationis malleo* &c. In margine vero adjecit: *Hic Allophylus i. e. alienigena fuit quidam Gallus Franciſcus Lamperti nomine, Minorita apoſtata, qui monaſticis magnam impoſuit calumniam ſuis in ſcriptis.*

2. *Commentarius in Evangelium Lucæ*, Spalatino inſcriptus. *Witteb.* 1523.

3. *Commentarius de ſacro conjugio in poſitiones LXIX. partitus.* Prima poſitio prolixam anthitheſin verbi Dei & inventorum hominum complectitur. Præfixa eſt longa epiſtola ad Franciſcum Galliarum Regem, qua eum ad tutelam veræ religionis in regno ſuo ſuſcipiendam graviter exhortatur, ac contra Pontificios maſcule diſputat. Huic commentario vulgando occaſionem præbuit conjugium, a Lamberto Wittebergæ initum. Subjuncti ſunt ejusdem pſalmi ſive cantica ſeptem, quibus DEum ob veritatem ſibi patefactam liberationemque tam a ſectis quam a cœlibatu Papæ laudat. Prodiit hic liber Norinbergæ apud Joannem Petrejum. A. MDXXV.

4. *In Cantica Canticorum Salomonis, libellum quidem ſenſibus altiſſimum, in quo ſublimia ſacri conjugii myſteria, quæ in Chriſto & Eccleſia ſunt, pertractantur, commentarii Wittembergæ prælecti.* Neque temporis, neque loci impreſſionis indicium hic comparet, ſed eo ipſo anno 1525. prodiiſſe hunc librum inde concludo, quod in dedicatione, itidem ad Franciſcum Regem directa, nuper ſe ipſi teſtetur miſiſſe librum de

ſacro

sacro & fideli conjugio, præterque epistolam, quæ a libri capite est, aliam ad eum dedisse, quibus & sui exilii & abjectæ sectarum larvæ atque etiam admissi casti conjugii causas apertius reddiderit. In prologo se in hujus sacri libelli interpretatione ab Hebræorum fontibus ipsissimam textus simplicitatem, quantum fieri potuerit, hausisse ait, cum vulgata translatio multis in locis ab Hebræis codicibus dissentiat.

5. *De fidelium vocatione in regnum Christi, id est, Ecclesiam. De vocatione ad ministeria ejus, maxime ad Episcopatum. Item de vocatione Matthiæ per sortem, ac similibus.* Absque nota loci & temporis: cum vero cap. 16. se superiori anno ad Metenses vocatum esse scribat, hinc Argentorati A. MDXXV. hunc libellum edidisse auguror, quod typi etiam evincunt. In hoc tractatu præter alia in casibus vocationem perplexis sortium usum commendat, capiteque XXII. p. 19. sqq. qua ratione sorte sit utendum, ostendit. Hoc caput integrum adjicere visum est, cum, nisi me omnia fallunt, ea, quæ hic narrantur, ab ipso nostro Lamberto occasione vo-

cationis Metenſis geſta ſint, atque adeo ad ejus hiſtoriam pertineant.

„In rebus ſeriis, dum eſt perplexitas, „ſicut in vocatione, in vocibus Eccle„ſiarum aut Senatuum, ac ſimilibus, in „ſortis miſſione, ut non ſit illicita, hæc „obſerventur. Primo, videat quisque „diligentiſſime, an ipſa perplexitas ali„unde valeat dirimi, ut mens certior „fiat, quid malit Deus. Tum enim im„pium eſſet mittere ſortem, ubi alia „via certitudo haberi poteſt. Secundo, „ubi vident, quod non poſſunt alioqui „certiores fieri, orent Dominum, ut „ſuum beneplacitum ſorte, quam inſti„tuit, palam facere dignetur, & ut con„firmet corda eorum ad credendum „verbo ſuo, quo Deus ipſe ſortis tem„perator dicitur (Prov. 16.) atque ut „ſuſcipiant, quicquid ſorte acciderit, „pro certiſſimo decreto æternæ volun„tatis ejus, ſicut olim fecit ſanctis ex „Iſrael. Tertio, proponant accipere, „quicquid ſorte evenerit pro decreto „Domini, ſicut vere eſt. Quarto, ex „fiducia puriſſima in ipſum ſortium „temperatorem Deum ſortem mittant, „nihil dubitantes, quod per eam notam faciat

faciat Deus voluntatem ſuam. Quin-„
to, id quod ſorte ſibi monſtraverit„
Dominus, ſibi neceſſarium eſſe non„
dubitent. Scio ego & novi fratrem„
unum, qui aliquando in graviſſima„
perplexitate ſuper vocatione ſua poſi-„
tus erat, & id quidem ſic, ut multo„
tempore nulla omnino pax illi eſſet a fa-„
cie ſæviſſimæ perplexitatis hujus. Is„
tum erat in vocatione una, quam &„
exequebatur. Interim autem ſolici-„
tabatur a multis, ut alio pergeret.„
Utrinque videbatur neceſſitas, ita ut„
magna pars fratrum adſereret, dimit-„
tendam priorem vocationem propter„
ſecundam. Alii autem oppoſitum de-„
cernebant, & hi plures reliquis erant.„
Verum iſtorum rationes, quibus ad-„
ferebant, non deſerendam priorem vo-„
cationem, nonnulli ad carnem ſpe-„
ctare dicebant, eo quod in priore vo-„
catione erat pax & ſecuritas a multis„
periculis: in alia vero multa & eadem„
graviſſima, etiam mortis pericula„
erant. Verum absque ſimilitudine„
major fructus a poſteriori vocatione„
ſperabatur. Inter vero hæc animi diſ-„
ſidia nulla erat miſero requies, & qui-„

„dem vix dum ſomnum caperet. Pro-
„inde eorum, quæ præſcripſimus, me-
„mor oravit Dominum, ut hanc con-
„tradictionem ſorte dirimeret, & ad id
„ſervavit ea, quæ noviſſime diximus
„obſervanda, dum in rebus ſeriis & tam
„perplexis Domini beneplacitum requi-
„ritur. Sicque ex fide & poſt multam
„orationem miſit ſortem, & ſors cecidit
„dit ſuper vocatione ſecunda. Demum
„facto intervallo & memor periculo-
„rum, in quæ ſe conjiciebat, oravit, ut
„ſi eum ſervaturus erat ab omnibus, &
„liberaturus ab Antichriſtorum mani-
„bus, ut non clauderetur omnino os,
„Deum laudare volentis, confirmaret
„iterum ſorte eandem vocationem, &
„ſors ſicut ante cecidit. Poſt aliquot
„denique horas, memor Gedeonis, qui
„in vellere in area futuræ belli victoriæ
„ter ſignum a Domino petiit, oravit,
„ut idem tertio monſtraretur, quod &
„factum eſt. Miſit namque ſortem, &
„ſors ipſa tertio cecidit, ſicut a princi-
„pio. Tum deſeruit primam vocatio-
„nem, & adgreſſus eſt iter ad ſecundam.
„In via autem accidit illi impedimen-
„tum graviſſimum, ut ſecundum homi-

nem

nem deſperatum vere omnino eſſet „ quod poſſet unquam pervenire, quo „ tendebat. Increpabant quoque illum „ multi, quod abiviſſet, ſuadebantque „ alii, ut ad priorem vocationem regre- „ deretur. Tum ille adflictus admodum, „ & de hominibus deſperans, in ſolum „ autem Deum fiduciam habens, oravit „ dicens: Domine, in multa fiducia „ bonitatis tuæ, non in incredulitate „ cordis mei peto, ut mihi in tot preſ- „ ſuris & malis nunc poſito, & vehemen- „ tiſſime territo, adhuc ſemel oſtendas „ quod tertio palam facere dignatus es. „ Tum adhuc ſortem miſit, & ſors ipſa „ ſicut ab initio cecidit. Mox ille iter „ adgreſſus, tam aperte agnovit & pro- „ bavit, ipſam vocationem eſſe a Deo, „ ut nemo unquam ſatis rem explicarit. „ Bonus eſt Deus ſperantibus in eum „ animæ quærenti illum. (*a*) „

6. *Farrago omnium fere rerum theologicarum*, anno & loco editionis haud annotato. Facile tamen ex ipſo libello perſpicere potes, prodiiſſe A. 1525. cum in eo diſertis verbis Joannem Caſtella-

(*a*) Hæc confer cum his, quæ diximus ſupra §. 8.

num eo ipſo anno duodecima ejusdem menſis Januarii, quo hæc paradoxa ſcripſerit, martyrium ſubiiſſe teſtatur Author. In dedicatione ad Epiſcopum Lauſannenſem contra centum paradoxa Conradi Tregarii Auguſtiniani graviter diſputat, librumque etiam ipſum ei opponit. In calce autem ejus epiſtolæ dedicatoriæ hæc verba uſurpat: *Paratum me offero de omnibus reſponſurum, ubicunque aut in Germania, aut in Gallia, modo me audire velint, & me non auditum extinguere non annitantur. Volo autem vulgariter rem tractare, ſi apud Gallias agitur. Et nolo judices alios quam puriſſimum verbum Dei, & omnes qui ſecundum illud ſincere judicaverint, quod non aliter liceat. Si me vicerint Dei ſermonibus, & probaverint, me aliena a veritate ſentire in his, quæ per ipſum verbum adſeverabo, fiat de me, quemadmodum viſum illis fuerit. Si autem illi victi fuerint, nolo, ut vel in capillo damnum perferant, ſed tantum detur gloria veritati.* Paradoxa 385. in hocce libro propoſita per tredecim capita diſtincta ſunt.

7. *Commentarii in Oſeam. Argentorati apud Jo. Hervagium. A. MDXXV.*

Poſt

Post commentarium in IV. Caput inserta est prolixa *digressio* authoris, *ad ultimi ejus capitis versus intelligentiam necessaria, de arbitrio hominis in solo Christo vere libero, in se autem multis nominibus maxime servo.* Præmissa est dedicatio ad Fridericum Saxoniæ Electorem. In postfatione Autor se duodecim Prophetas minores Wittembergæ enarrasse ait, & in Ezechielem quoque commentarios editurum spondet, quod an ab ipso factum sit, ignoro.

8. *Commentarii in Johelem*: non indicato anno & loco impressionis: verum ibidem excusos esse eos, typorum similitudo evincit: & eodem anno prodiisse, inde apparet, quod in dedicatione ad Sigismundum Comitem ab Hohenloe, Ecclesiæ Argentinensis Decanum, post Oseam se Johelem edere profiteatur.

9. *Commentarii in Amos, Abdiam & Jonam, & Allegoriæ in Jonam. Argent. apud J. Hervagium. MDXXV.* In dedicatione ad Antonium Lotharingiæ & Barri Ducem præstantissima monita, piis principibus observanda, magna animi fiducia inculcat. Delibabimus

mus inde verba initialia, ad hiſtoriam authoris pertinentia: *Ante menſem ferme ſeptimum, & ſancto Dei epiſcopo, nunc glorioſo veritatis martyre, Joanne Caſtellano, adhuc vincto Jeſu Chriſti, ſcripſi ad Celſitudinem Tuam, ut liberi dimitterentur tam idem Sanctus Dei, quam tabellarius ille, quem a me literas & libros ad Chriſtianiſſimum Galliæ Regem, ac Galliæ amices deferentem nonnulli in Tuo principatu captivum fecerunt. Simul quoque reddidi fidei meæ rationem, paratum me offerens in Domino ad reſpondendum univerſis pietatis hoſtibus de ea, ubicunque modo tuto & libere cuivis loqui donaretur. Nimirum absque fructu eſſet, ſi me luporum faucibus exponerem, mox ab eis ſine veritatis diſcuſſione vorandum.*

10. *Commentarii in Micheam, Naum & Abacuc.* ibid. eod. Dedicatio Argentorati die 15. menſis Auguſti A. 1525. ad Senatum Biſuntinenſem data eſt. Pauca ex ea decerpere juvat: *Ante annum ferme & dimidium vocatus & miſſus fui a Domino e Saxonibus ad Metenſes, ut eis annunciarem Evangelium regni ſui. Ad quos ingenti cum viarum diſcrimine veni: ſed tam in me inſanivit cohors*

Papæ

Papæ — ut poſt octiduum vel coactus venerim ad Chriſtianiſſ. Argentoratum, niſi voluiſſem ab eis mox ſine fructu extingui. — — — Quid ergo tum facere debui, niſi ceſſare ab eis, quoniam verbum Domini pepulerunt, & ad alias urbes ſcribere, quæ ſunt Domini? E quibus primum occurrit menti Biſuntium, urbs magna, potens, inclyta, Comitatus Burgundiæ prima, Chriſtianiſſimo Argentorato reliquis pluribus vicinior. Urgebat igitur vehementer ſpiritus, ut quando Metenſes ſe indignos faciunt verbo Domini, ad vos convertar, æternæque ſalutis eloquia ad vos mittam. Provocavit quoque me nonnihil, quod ego ipſe, tametſi Avenione natus, noſtra veruntamen familia ex Burgundia, nempe ex Orgeleto, originem traxit. Siquidem ex Lambertis in eo loco plurimi adhuc ſunt. Afficior omnium ſaluti, ſed præſertim meorum Burgundorum, interim veruntamen cupiens anathema fieri pro meis Avenionenſibus — & pro infeliciſſimis Metenſibus, qui ſanctum Dei verbum ad eos miſſum tam fœde pepulerunt. Meminit in eadem dedicatione cujusdam Joannis, cognomento Clerici, Metis ob religionem eo ipſo anno d. 22. Julii crudeli

morte

morte affecti, deque ejus martyrio peculiari libello se acturum pollicetur.

11. *Commentarii in Sophoniam, Aggeum, Zachariam & Malachiam* ibid. A. MDXXVI. In dedicatione Senatum Argentinensem ad constantiam in agnita veritate exhortatur, inque urbe ea verbum Dei scripto & viva voce interpretatum esse, post Ezechielem & alia nonnulla, Apocalypsin & Danielem tunc enarrantem, ait.

12. *Commentarii de Prophetia, eruditione & linguis, deque litera & spiritu, nec non libellus de differentia stimuli carnis, Satanæ nuncii, & ustionis.* ibid. MDXXVI. Dicati sunt hi commentarii Nicolao Kniepsz, Consuli Argentinensi. De iis ita Vener. Weismannus (*b*): *Inter cætera Lamberti opuscula in pretio haberi solet Commentarius ejus de Prophetia, litera & Spiritu, in quo contra literarios & literariorum, ut vocat, hæresin, h. e. contra eos, qui ita versantur in SS. literis, ut Spiritum S. negligant, mirifica cum energia detonat. Unicum locum*

(*b*) l. c. p. 125.

cum hic adducimus : Si ipse Spiritus cessavit, Deus Ecclesiam reliquit, & non servat verbum suum. Auferre nimirum Spiritum, deserere est. Absit, ut cesset a nobis Dei Spiritus! Cesset potius a nobis, Domine, Spiritus noster, citiusque moriamur, quam ut tuum a nobis auferamus Spiritum. Quid enim sine tuo Spiritu, nisi mendacium, hæreses, figmenta, errores, malitia, perditio, cœcitas, peccatum, induratio, mors? &c. Michael Neander (*c*) cum Lambertum de modo legendi Prophetas tractatum scripsisse dicit, sed nondum editum ; non alium nisi hunc indigitari autumo.

13. *De causis excæcationis multorum seculorum ac veritate denuo & novissime Dei misericordia revelata, deque imagine Dei & aliis similibus.* Hujus tractatus, quem non vidi, mentio fit in Eliæ Ehingeri Catalogo Bibliothecæ Augustanæ f. 80. In Historia Hassorum literaria p. 30. Noribergæ A. 1525. excusus esse dicitur cum commentario de con-

(*c*) In Catalogo librorum quorundam præcipuorum in variis linguis, Erotematibus linguæ Ebrææ annexo. p. 442.

conjugio. Fortaſſis itaque innuitur prolixa epiſtola dedicatoria ad Franciſcum I. huic libro præmiſſa, quæ pluribus de cauſis excœcationis & veritate denuo revelata agit; vel etiam dedicatio Commentarii in Canticum Canticorum, easdem res tractans, cum in Catalogo Ehingeriano hujus commentarii mox poſt memoratum libellum mentio inſtituatur.

14. *Theſes theologicæ* (*cc*) *in Synodo Homburgenſi diſputatæ. Erfurti* 1527. in 4. Nota: omnes reliquos libros hactenus enarratos in forma octipertita impreſſos eſſe.

15. *Exegeſeos in Apocalypſin libri VII. in Academia Marpurgenſi prælecti.* A. MDXXVIII. in 8. (*d*)

16. In Dedicatione farraginis omnium fere rerum theologicarum ſcribit Lambertus p. 4. *Ego paucis nunc de his agam cum Celſitudine Tua, quod proprio libello ad*

(*cc*) Has theſes, quas paradoxa vocavit autor, Annalibus ſuis Evangelicis inſeruit Abr. Scultetus f. 68. ſqq.

(*d*) Vid. Hiſtorie der Gelehrtheit der Heſſen. Trim. I. p. 30.

ad Illuſtriſſimum Principem Joannem, Cardinalem (ut vocant) Lotharingiæ pleniſſime tractaverim, quid Papa cum ſuis Cardinalibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Canonicis, & cunctis beneficiatis facient, ne diſpereant, ſed ſalvi fiant.

Eorum operum, quæ ſub Joann. Serrani nomine ſcripſit, vel Latine vel Gallice, (vid. ſupra in §. 6. ipſas Lamberti epiſtolas) nihil unquam conſpexi.

IV.

Excerpta quædam e Diario Georgii Spalatini MSto.

INter memorabilia Bibliothecæ Perilluſtris Domini Raymundi de Krafft Tom. III. p. 104. retulimus quoque *Georgii Spalatini*, Theologi olim & Hiſtorici Saxonici celebratiſſimi, cujus hiſtoriam vitæ diligenter concinnatam Præſide Caſp. Sagittario Jenæ A. 1693. publicæ disquiſitioni expoſuit Chriſtianus Schlegelius, *manuale vel diarium, ſeu chronicon* potius, *rerum ab A. 1515. ad A. 1526. notabiliorum*, ipſa beati Viri manu exaratum, cujus & in ſuperiori commentatione de Vita Lamberti

aliquoties mentionem habuimus. Quum vero, Spalatinum graviſſimis ſui temporis negotiis interfuiſſe, ampliſſimis functum officiis, commercioque epiſtolico cum celeberrimis ſui ævi viris uſum, cognitum ſit, facile quivis, haud pauca memoratu digniſſima ab eo annotata fuiſſe, ſuſpicabitur. Neque vero fallitur, quicunque ita judicat. Hinc operæ pretium me facturum exiſtimavi, ſi quædam inde electa heic adjicerem, ut ex hiſce laciniis de integro texto judicium ferre queas.

A. MDXIX.

Die Innocentum ad Principem noſtrum venit Carolus de Miltitz Sedis Apoſtolicæ Legatus, cauſa Doctoris Martini Lutheri Auguſtiniani, ſuffarcinatus ad LXX. Brevibus Apoſtolicis, ut hominem opprimeret τῳ ἀναθεμαῖι, ſive ut ſuſpicabantur οἱ πολλοι, την ῥωμην ἡγη. Attulit idem την ἐπαγγελιαν allati τε ῥοδε χρυσεε.

Ea hebdomade, quæ fuit intra Septuageſimam & Sexageſ. S. P. Q. Ratiſponenſ. una cum ſuo præfecto Thoma Fuchs Franco, Judæis illinc ejectis, etiam ſcholam eorũ, quam neſcio quare Synagogam vocant, demoliti

liti, præmonuisse reliquias Hebrææ Gentis videntur, ut minus in posterum spiritus tollant in Christianos.

Una hebdomade intra secundum & tertium diem dominicum Quadragesimalis jejunii Princeps meus Clementiss. Fridericus Dux Saxoniæ, S. Rom. Imp. Archi-Marschalcus, Princeps Elector & Vicarius, literas habuit ut ab aliis Principibus Christianis, ita a Pont. Max. Leone X. Carolo Hispaniarum, & Francisco Galliarum Regibus, & Alberto Cardinale S. Chrysogoni Archiep. Moguntino & Magdeburg. & ejus fratre Joachimo Brandenburg. Marchione, Sacri Rom. Imp. Electoribus. Tertia Julii die dominica postridie sive proxima post festum Visitationis Mariæ Virginis Dei matris, obiit noster Degenhardus Pfeffinger, piorum, eruditorum, pauperum, & sacrorum patronus & Mæcenas optimus, in ædibus Nicolai Stolbergii Francofordiæ ad Mœnum, hospitio Illustrissimi Principis nostri D. Friderici Saxonis Electoris, sepultus apud Minores in choro sub arcula sacramentali, qua levorsum sacrarium aditur; novissimus tam veteris, tam honoratæ, tam nobilis familiæ, una superstite sorore germana D. Ursula Chiemseensium Sanctimonia-

nialium matre, ſui cœnobii Abbatiſſa. Utinam igitur & Deus & ſuperi omnes tam foverent benigniter animam hominis in æterna felicitate, quam vivens profuit fideliter multis.

A. MDXX.

Feria III. poſt natalem Scholaſticæ Virginis Albertus Cardinalis & Archiepiſcopus Mogunt. & Magdeb. Brandenb. Marchio per edictum Gregorii Werbeni, Decani & Doctoris Magdeburgii Officialis, curavit interdicendum mendicatione monachis mendicantibus, & ſacrorum miniſtratione per totam διοικησιν Magdeburgenſ. interminatus ut multam, ita indignationem ſuam contra euntibus: cauſatus, quod meliorem anni partem foris exigerent, non ſine diſcrimine ſalutis ſuæ, & jactura multiplici των παροχων: Erant tamen, qui hominem aliud quidpiam moliri crederent in odium τε Μαρτινε Λεθερε Auguſtiniani, a quo alienum fecerant animum tanti Principis quidam, alioqui non indigni, qui impenſe tueretur Evangelii adſertorem χριστιανωτατον.

Hoc anno reperti ſunt, ſi ſuperis placet, in æmulis Doctoris Martini, qui non dubitarent rumores ſpargere, natum educatum-

tumque Pragæ in Boëmia, & a puero inſtitutum dogmate Wiclefino, ad movendam homini invidiam. O mores! o homines! o tempora indigna literis Evangelicis & veritate pura puta verbi divini!

Jo. Schleinitzius, Epiſcopus Miſnenſis, non auſus ex confeſſo inſimulare Doctorem Martinum Lutherum hæreſeos, edidit ſchedulam, in qua teſtaretur, ſcandaloſa ſcripſiſſe de Euchariſtia, præſertim de communione ſub utraque ſpecie, eo vectus amentiæ, ut damnatum errorem diceret, & contrariam conſuetudinem æternæ damnationis inductivam. Quam Doctor Martinus utraque lingua editis ſchedis ita excepit, ut credas pœnitudinem magno mercatos Stolpenſes ſchedularios.

A. MDXXI.

Conati ſunt Romaniſtæ cum ſuis, Marinus Caracciola & Hieron. Aleander, ſubſcriptore Carolo, damnare verbum Domini & ejus evangeliciſſimum præconem Doctorem Martinum Lutherum. Qui cum Wormatiam veniſſet, tantum juſſus revocare, quæ ſcripſiſſet & docuiſſet: tandem promittens, ſe paſſurum judicium & ſententiam ut Cæſaris & Imperii, ita Concilii,

ſed ita, ut ſecundum ſcripturam judicaret, cum ne id quidem impetrare poſſet, fruſtra illuc profectus retro redit. Revertens in itinere capitur, mœrentibus bonis & ſtudioſis verbi divini omnibus.

Priusquam illic (ex Vangionibus ſcil.) Carolus Imp. abiret, in ſua rediturus, mandavit exuri libros evangeliciſſimi Evangeliſtæ, hujus perditiſſimi & ultimi ſeculi Heliæ Doctoris Martini Lutheri. Ores! o tempora! o homines! Pont. Rom. Leo X. eatenus Galliarum Regi Franciſco amicus in gratiam Caroli Cæſ. anathema comminatur. O ſtultum Regem, ſi tam leves ſtipulas timeat!

Cæſar Carolus V. Vormatiæ die VIII. Maji edidit edictum & anathema ſuum contra Lutherum & ſuos, quamvis pollicitus XXI. dies liberos redeundi in ſuam ſecuritatem. Cui promiſſioni ego Spalatinus interfui.

Princeps & Elector Saxon. Dux Fridericus ex Vangionibus per Francos, & Duringos & Miſnios ad Saxones reverſus, Wittebergam profectus navi ex Torga, ad X. dies ibi ſubſiſtens multa Academiæ & Reip. Chriſtianæ commoda curavit, inſtauravit, excitavit.

Die

Die Aſſumptionis Gymnopodes in Wimarienſi Synodo coacti ſcripſerunt ineptiſſimas literas ad Chriſtianiſſimum Principem noſtrum D. Fridericum Electorem Ducem Saxoniæ contra evangeliciſſimum Doctorem Martinum Lutherum, auſi hæreſeos eum diffamare, & obſecrare opem adverſariis occurſuris.

Ea hebdomade, quæ inſequitur natalem S. Dionyſii, in menſe Octobri, ſeceſſerunt Auguſtiniani Wittebergenſes a ſuo Priore Johanne Helto Nurmbergenſ. quod nollet ipſis permittere, ſic rem divinam facere, ut ſimul etiam aliis adminiſtrarent ἐυχαριστιαν. Nam ipſi præſcriptum Chriſti & Apoſtolorum exemplum cauſati, negaverunt conſtanter, ſeſe poſthac privatim celebraturos, niſi haberent, quos communicarent, privatas vocantes miſſas, quæ ſic celebrantur, ut ſacerdos celebrans nullis communicet, id vocabuli credo ex libris Evangelici Patris Doctoris Martini Lutheri mutuati. Interceſſit hoc agentibus Univerſitas & Conlegium illic omnium Sanctorum, ſed diligentius quam felicius. Nam quum a Priore unus tantum ex XXX. & amplius fratribus univerſis ſtaret, reliqui omnes ſenſerunt, potius Chriſti inſtitutum &

Apoſtolorum, quam traditiones humanas eſſe ſervandas. Subſcripſerunt monachis etiam non ſolum plerique ſcholaſticorum, quorum ſupra millia ibi tum fuerunt, verum etiam primores Academiæ & Eccleſiæ Præpoſitus Jod. Jonas, Andr. Caroloſtadius Archidiaconus Theol. Doctores, Phil. Melanchthon & Nicol. Amsdorfius.

A. MDXXII.

Poſtquam Spalatinus varia de Hadriano VI. in Pontificem electo annotaſſet, hæc ſubjicit:

Leo X. Pont. Max. bellando conſumpſit quatuordecies centena millia aureorum, relicta ingenti vi æris alieni. Die XIII. Febr. pridie natalis Valentini Fer. V. poſt Apolloniæ apud Eyslebenſ. in ædibus Joannis Durrii Cancellarii Comitum Mansfeldenſ. præſente Doctore Venceslao Linco & nonnullis aliis prandio ſatis eleganti, ſatis opiparo, pranſus ſum cum parente utroque evangeliciſſimi Evangeliſtæ noſtri, imo Heliæ noſtri Doctoris Martini Lutheri. Jheſu bone, quam Doctor Martinus tam geſtu corporis, quam lineamentis oris matrem refert, fœminam haud dubie rari exempli.

Quod

Quod fortaſſis vel poſteritati nedum huic ſeculo admirabile videbitur, Doctor Martinus Lutherus fer. V. poſtridie cinerum, quæ fuit dies ſextus hujus menſis Martii, Wittebergam reverſus, recepta ut corona, ita veſte monaſtica, die Dominica Invocavit in Parochia tam ante, quam poſt meridiem concionatus eſt.

Balthaſar Sturmus priùs ordinis Auguſtiniani, deinde excuſſo monachi habitu, hic Lochæ Franciſco Gunthero plebano ſerviens, ſabbato ante Dominicam Oculi duxit uxorem viduam neſcio quam e Francia orientali natam.

Die converſionis Pauli Senatus & aliquot ex Univerſitate tum Academiæ tum templi omnium Sanctorum Wittebergæ Minoritanis illic renunciaverunt, ſe nullos in poſterum paſſuros in civitate mendicos. Ergo curarent, ut intra id temporis & mediæ Quadrageſimæ relicta mendicatione juniores, & qui per ætatem poſſent, opificia diſcerent, viribus vero defecti ægrotis & xenodochiis adeſſent.

Hac æſtate Jo. Oecolampadius in Arce Ebernburgia Dn. Franciſci Siccingeri cepit Epiſtolam & Evangelium ſub Miſſa pro communi auditorum tum ſalute tum utili-

tate Germanice legere & recitare. Quod factum reprehendentibus, ut fit, æmulis, excuſavit eleganti & pia epiſtola ad Caſparem Hedionem, Eccleſiaſtem Maguntinum, in hoc ſcripta.

Ex Eremo divæ Virginis apud Helvetios die ſecunda Julii ad Dn. Hugonem de Hohenlandenberg, Epiſcopum Conſtantienſem ſcripſerunt Baltaſar Trachſelus, Georgius Calybeus, Vernerus Steyner, Leo Jud, Eraſmus Fabricii, Simon Stumpfus, Jodocus Kilchmeyer, Huldrichus Piſtoris, Caſpar Megander, Joannes Faber, Huldrichus Zwinglius, petentes ut ipſis permittat uxores ducere. Uſi his locis ſcripturæ.

1. *Matth.* 19.

2. 1. *Cor. VII. propter ſcortationes unusquisque ducat uxorem. Neminem excepit, neque ſacerdotem neque monachum.*

3. 1. *Cor. VII. Quod ſi ſe non continent, nubant. Melius enim eſt nubere, quam uri.*

4. 1. *Cor. VII. De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do. Paulus Doctor gentium, inſtrumentum Dei electum.*

5.

5. 1. *Tim. IV. Oportet epiſcopum unius uxoris maritum eſſe.*

6. *Tit. I. Si quis ſit inculpatus, unius uxoris maritus.*

7. 1. *Tim. IV. Spiritus aperte dictat, poſtremis temporibus eſſe futuros, qui vetent nuptias.*

8. *Hebr. IX. Precioſa cumprimis res eſt connubium & thorus incontaminatus. Scortatores vero & adulteros damnabit Deus.*

Per igitur communem Chriſtum, per libertatem ejus ſanguine partam, per pronum affectum, quem nobis debes, per miſeriam animularum noſtrarum, per vulnera conſcientiarum, per quicquid eſt divinum, quicquid eſt humanum, te oramus, ut ſupplices clementer reſpicias, ut, quod temere ædificatum eſt, cum conſilio demoliri ſinas: ne quando moles iſta non ex patris cœleſtis ſententia conſtructa cum fragore longe pernicioſiore corruat.

Niſi conſilio rebus multis ſubveniatur, actum erit aliquando de univerſo ſacerdotum ordine.

Qui rerum ſcriptores id facti unquam celabunt? Qui non docti præconiis vehent? qui non olores venienti mundo canent? qui cedri a vetuſtate & interitu non defendent?

Hoc

Hoc unum caveris, ne oblatam occaſionem e manibus male conſertis elabi ſinas. Auguramur enim res novam faciem induituras, nobis etiam ingratiſſimam. Quod ubi factum erit, nequicquam adipiſcendæ gloriæ occaſionem neglexiſſe quereris.

Favet noſtræ petitioni opifex iſte, qui marem & fœminam fecit primos homines. Favet uſus veteris Teſtamenti, novo multo rigidioris, quo ſummi etiam ſacerdotes lento matrimonii jugo colla ſubmittebant. Favet Chriſtus, dum caſtitatem liberam facit, quin jubet, dum non vult puſillos ſcandalizari. Favet ubique magno plauſu, imo ſpiritum Dei habens præcipit Paulus. Favet univerſus piorum & cordatorum numerus.

Jam rumor eſt, plerosque conjuges dudum deſignaſſe, non modo apud Helvetios noſtros, verum etiam paſſim apud omnes, quos ſopire profecto ſupra vires fuerit, non modo tuas, ſed longe potentioris, pace Tua dixerimus.

Proinde parvitatem noſtram ne nauci feceris. Sæpe etenim eſt olitor valde opportuna locutus. Et quamvis puſilli ſumus, Chriſti tamen ſumus. Quos tantum abeſt, ut contemnas, ut receptis evenire Tibi ſalutem firmiter credas. Deus

Deus Optimus Maximus Excellentiam Tuam diu incolumem & recte de ſe ſentientem conſervet, quam ſumma humilitate cupimus exorari, ut omnia æqui bonique conſulat. Ex Eremo D. Virginis apud Helvetios M. D. XXII. ſecunda Julii.

Hac æſtate curavit Princeps noſter Fridericus Dux Saxon. Elector numismata argentea hic Nürmbergæ excudenda, effigiem ſuam pulcherrime referentia, partim quæ ſingula aureum penderent, partim quorum ſeptem aurei valorem reddant. Utraque cum hac inſcriptione in altero latere: *Verbum Domini manet in æternum.* Quæ mirum quanta in admiratione fuerint apud plerosque fere omnes, potiſſimum vero pios & verbi ſtudioſos.

Magiſter Caſpar Haslachius Concionator Epiſcopi Auguſtenſ. in Dillingen eruditionem Lutherianam abjuravit, execrans ut hæreſin, & pollicitus ſe manſurum in fide Chriſtiana & Apoſtolica. Gravis magni alioquin viri caſus, & quem nonnulli ſincerum ſperabant quidvis potius paſſurum, quam verbum Domini negaturum. Sed quæſo homines quid ſunt niſi homines, filii Adam, caro & ſanguis.

Prin-

Princeps noſter Dux Fridericus Saxon. Elector ſuis hybernam veſtem dedit, cum his literis in dextera manica in longitudinem intertextis V. D. M. I. Æ. i. e. *Verbum Domini manet in æternum.*

Doctor Martinus Lutherus ſtipatus Phil. Melanchthone, Jacob præpoſito olim priore Antwerpienſ. Magiſtro Jo. Eislebio, M. Wolfgango Ducis Johannis Saxon. a ſacris & concionibus ex Wittemberga Erphordiam proficiſcitur evangelizatum.

Albertus Brandenburgius Cardin. Archiep. Magunt. & Magdeb. Elector, Epiſcopus Halberſtadienſ. ſabbato poſt Galli Archiepiſcopo Trevirenſi Richardo, & Ludovico Comiti Palatino Rheni Electoribus, & Philippo Landgravio Haſſiæ, una cum ſuo Capitulo Maguntino promiſit, ſe in ſesqui anno ſoluturum XXV. millia aureûm, quod permiſiſſe videretur Franciſco Siccingero & ſuis liberum itum contra Archiep. Trevirenſ. ſcriptis ad hoc literis, in quibus hæc erat clauſula:

Keinerley Begnadung Freyheit Abſolution, Relaxation, Supplication, oder ander Behelff noch newe Fundt, die itzo von Romiſchen Bapſten, Keyſern, Konigen, oder Concilien erlangen, erwerben, oder kunfftiglich erfun-

erfunden, erlangt und genennt werden mochten, wie die Namen haben können.

Mira & dictu & auditu ſunt, ſi recte, ſi prudenter dependas, Lector. Actum Francofordiæ Mœni. Sabbato poſt Galli MDXXII.

Dux Georgius Saxon. Fer. VI. poſt omnium Divorum emiſit in regiones ſuas edictum, quo inhibuit Novum Teſtamentum, a Doctore Martino Luthero in linguam Germanicam recens & pie & ſimpliciter verſum, vendi, legi, comparari, interminatus graves pœnas contra facientibus.

M D XXIII.

His diebus reperta eſt apud Fribergum Miſniæ uxor, filia Licentiati Gertwitzii, illic Canonici, ei Romæ nata ex concubina, infeſta marito, propter amores, quibus efflictim deperiit adulterum, ut conaretur ægrotantem opprimere. Id autem primo parum feliciter veneno conata, ſtatim impia ferrum veneno ſubjecit, transfodiens miſerum LX. vulneribus. Et ut facinus tam audax tegeret, auſa eſt cadaveri cultrum in manus dare, ut ſibi ipſi mortem conſciviſſe videretur. Tandem primo ſecuri percuſſa, rotæ ſupplicio adficitur. Ma-

Magnam & incomparabilem felicitatem aſſecutus eſt, cui proba contigit uxor.

Magiſter Livoniæ Doctorem Martinum Lutherum rogavit, ut populo ſuo, Evangelii cupidiſſimo, libellum de vita Chriſtiana ſcriberet. Hæc enim verba ſunt Lutheri ad me G. Spalatinum de hac re ſcribentis: *Magiſter quoque Livoniæ ex me petiit, per nuncium & Cancellarium eruditum virum, ut libellum ad ſuos populos ſcriberem de re Chriſtiana: aluntque ibi verbi prædicatorem, & gaudent ſe Evangelion habere. Sic a Judæis tranſit ad gentes Chriſtus, & de lapidibus ſiunt filii Abrahæ, quem nepotes perſequuntur etiam.*

Conventus Principum Imperialis Nurmbergæ fuit, adverſariis in hoc agentibus multa adverſus Evangelium & Evangeliſtarum conatus. Nam Adriani VI. Rom. Pont. Orator maxime urſit, quicquid ad opprimendum Evangelium facturum videretur, auſus non ſolum alia multa, ſed etiam quatuor Nurmbergæ Eccleſiaſtas præcipuos, Dominicum Steupnerum Sebaldi, Andream Oſiandrum Laurentii, Thomam Venatorium in Hoſpitali, & Carolum Auguſtini, primo in crimen & odium vocare, quod Lutherani eſſent, deinde etiam poſtu-

lare

lare ut caperentur, & capti Ro. Pont. mitterentur, Osiandrum privatim accusans, 1. *quod prædicasset beatam Virginem Mariam post Christi partum non mansisse virginem.* 2. *natum inimicum* (*b*) *insidiari Christianæ Reip.* 3. *autorem esse Præposito suo porrigendæ populo Eucharistiæ sub utraque, ut vocant, specie.* Ita accusatum, de primo capite D. Joannes a Schwarzenberg Baro, de altero Marchio Casimirus Brandenb. expurgavit. Multis igitur hæc convitia fuerant invisa, quod nihil aliud putarent fuisse quam conventiculum adversus Dominum & Christum ejus. Non deerant, qui per contumeliam conventum Sacerdotum vocarent, quod quum multi eorum Episcopi, & plures prophanis Principibus illic essent, omnia pene ex animi sententia obtinerent. Ferdinandum enim Cæsaris Caroli V. fratrem germanum plerique ad omnes suos conatus præsertim contra Doctorem Martinum Lutherum & suos & eorum Doctrinam habuerunt fautorem: potissimum Matthæus Langius Saltzburgens. Archiep. Cardinalis, qui & Gurcens. hoc nomine multis invisus,

(*b*) Dubito, an vocem hanc per compendium a Spalatino scriptam recte legerim. Parum abest, quin legendum videatur: *natum Judæum.*

ſic & Epiſcopus Auguſtenſ. Jurisprudentiæ quam Evangelii longe peritior.

Dominica Invocavit Senatus Nurmbergenſ. propoſuit Edictum, quo vetuit quicquam novari temere in rebus Chriſtianis, minatus pœnas euntibus contra, præſertim graſſantibus in templa & ſacerdotes & monachos, pollicens ſeſe ab Evangelio pie ſtaturum.

Feria II. poſt Judica Wittenbergæ in templo parochiali, ut mihi inde Andreas Pretinus meus ſcripſit, autore D. Mart. Luthero abrogatis omnibus miſſis privatis, cœptæ ſunt cerimoniæ apoſtolicæ, ab Apoſtolo Paulo 1. Cor. XIV. deſcriptæ, ut videlicet primo aliquid legatur ex Bibliis, ſecundo id enarretur ab aliquo, poſtremo ut oretur publice pro ſalute Eccleſiæ. Subornatus eſt ſtatim quispiam olim monachus Jurium Licentiatus, qui ex novo Teſtam. aliquid mane legeret, donec inveniatur, qui ex Veteri veſperi legat.

In oppido Wittichavienſi, niſi fallor in Boëmia ſito, ut mihi ſcripſit Johannes Aureus, plebs, depulſo ſacerdote papiſtico, quendam e plebe laicum, eruditione, probitate & ætate inſignem, ſibi delegit parochum & Evangeliſtam.

Die

Die Cœnæ Domini Nurmbergæ Prior Auguſtinienſ. ut ſuis fratribus converſis, ita nonnullis illic cīvium Euchariſtiam, ut vocant, ſpecie panis & vini dedit, dicens: *Sanguis Domini noſtri Jheſu Chriſti proficiat tibi in vitam æternam!*

In Feſto Reſurrectionis Dominicæ etiam Nurmbergæ Doctor Mor, miſſus illuc ad judicium Cameræ Imperialis ab Archiep. Colonienſi, Doctoris Gregorii Lamparters, paulo ante ibidem defuncti, filiam duxit, eodem die vocatis ad epulum nonnullis amicorum, nuptias habens. Rem miram, ſi paucis abhinc annis contigiſſet!

Die S. Tyburtii & Valeriani martyris, quæ eſt XIIII. Aprilis, tum Fer. III. poſt Quaſimodog. obiit mater mea; cujus anima ſub Dei omnipotentis gratia & miſericordia benigniſſima perpetuo conquieſcat cum omnibus in Chriſto defunctis. Amen!

Legi exemplum literarum Philippi Landgravii Heſſorum, quibus ſcripſit Duci Georgio Saxoniæ Fer. V. poſt Cantate, Franciſcum Siccingerum mortuum & ſepultum eſſe apud Landisſtallum ſive Nauſtulum arcem, paulo ante eodem die in deditionem acceptam, quum eum Archiep. Trevirenſ. Comes Palatinus Rheni Electores,

& Landgravius Haſſiæ conveniſſent. O res humanas, quam incertas, quam inſtabiles, quantumlibet magnas, quamlibet ſplendidas, quantumcunque præſidiis fortunæ munitas! Qui totum pene Rom. Imperium terruerat, ictu lapidis percuſſus, tam repente concidit. Quum tres Principes Fer. II. poſt Jubilate arcem ejus Nauſtulium obſidione cinxiſſent: uno, quod mirari poſſis die tum arce egregia, tum vita exutus!

Epiſcopus & Princeps Lauſanenſ. qui diu in Helvetiis tyrannidem exercuerat, in oppidum Bernæ Helvetiorum vicinum venit, illic Senatui Bernenſi, qui ſe venturum nunciaret, miſit, ut more ſolito venientem exciperent. Mox coacto Senatu rurſum transmiſſo tabellario ſic reſcripſerunt: *Vide, ne ad nos velut Princeps venias. Placet, ut venias ut Epiſcopus, ut relicta purpura nobis verbum Evangelizes: nolumus autem, ut tyrannides in tuos coëpiſcopos & ſympresbyteros exerceâs. Alioqui enim nonniſi gravi periculo tuo accedes.* Quorum animis cognitis ſtatim Lauſanam rediit.

Præſul Olomicenſ. Ludovicum Regem Ungar. & Boëm. adoleſcentem, antea Luthero non iniquum eo facinoris peſtilenti ſuo

ſuo conſilio induxit, ut ejus juſſu in Lutheri libros publico incendio in Olomucenſi oppido ſævitum ſit, & Paulus Speratus, qui in primario Moravorum oppido Trigla bonam partem ſuis concionibus ad veræ pietatis ſtudium excitaverat, in carcerem truſus, quod ejusdem cum Luthero hæreſeos haberetur: quod Sigismundum Gelenium Boëmici ſanguinis hominem peſſime habuit, qui Philippo Melanchtoni ſcribens hoc in calce addidit: *Chriſtus Opt. max. te diu nobis incolumem ſervet* συν ἐλευθερῳ τῳ της θεοσέβειας ἀναζωπυρητῃ!

Chriſtiernus Rex Daniæ &c. a Principe noſtro Electore Saxon. digreſſus in oppidum Schweiniz unum tantum a Locha milliare, illic Doct. Mart. Lutherum, una cum Phil. Melanchthone ad ſe accerſitum, concionantem ita cupide audivit, ut deinde Johanni Feyel Principis noſtri a ſecretis dixerit, *nunquam ſeſe ſic Evangelion audiviſſe, memorem ejus perpetuo fore, libenter paſſurum omnia, quando pro indigno Chriſtus etiam mortem crucis tulerit, non invitum vel pallium quoque relicturum, auferenti tunicam.*

Halberſtadii Provincialem Carmelitarum, ut D. Mart. Lutherus ad me ſcripſit, ob Evangelium nocte larvatis vultibus mi-

ſere ceciderunt quidam a ſacerdotibus, ut dicitur, ſubornati, tandem exectis teſticulis domum ſpoliaverunt, quem curat modo Senatus. Sic irritant vulgus miſeri in caput ſuum.

Chriſtiernus, Rex Daniæ, Sueciæ & Norvegiæ, ſabbato Gereonis Wittenbergam venit, ibi ut arcem viſurus, ita auditurus D. M. Lutherum.

Princeps noſter Elector Saxon. Fer. V. Pentecoſtes hic Lochæ ſomniat, ſeſe denuo maritima profectione ingreſſum Syriam, in magno fuiſſe metu, ne tertio quoque proficiſci in Judæam cogeretur.

In feſto Corporis Chriſti Sacramentum Euchariſtiæ in multis locis de more non eſt circumlatum in pompa ſolenni, quod multi Evangeliſtæ Martinum Lutherum ſecuti, affirmarent, contumeliam potius eſſe Sacramenti, quam reverentiam ejusmodi circumportationem.

Clamabant adverſarii, Pſeudo-Regem, Franciſcum Siccingerum putantes, extinctum, Pſeudo-papam autem ſive Lutherum ægrotum propediem obiturum. Deus tamen, cujus res agitur, melius conſulit. Sic partim Vulcanus Richardus ex Ulma.

Cives

Cives Saltzburgii in ea hebdomade, quæ præcedit diem Apostolorum Petri & Pauli, arreptis subito armis egerunt ordinem, hoc est sacerdotes in arcem Archiepiscopi sui, alioqui ad unum omnes trucidaturi. Creditur sumptam esse occasionem a tyrannide sui Antistitis Matthæi Langi Cardin. Gurcensis in Lutherum & suos. Hic discite adversarii Evangelicæ veritatis & doctrinæ, quam male vertatur imperii conatus contra verbum Dei, tam æternum, tam omnipotens, quam Deus ipse est. Cardinalis Gurcens. hoc nomine profectus est Insbruccum ad Ferdinandum Cæs. Imp. Caroli V. Augusti fratrem. Utinam non recalcitraturus contra stimulum! Aguntur enim plerique sacrorum admirabili hoc œstro, ut dum verbo resistunt, sibi excidium concilient.

Doctor Caspar Castenpaur Rotenburgi ad Enum in Diœcesi Saltzburg. conjectus in carcerem ob Evangelion, piissime respondit ex vinculis, egregius Domini & verbi ejus confessor, & qui nihil minus unquam facturus commissurusque videatur, quam ut veritati renitens παλινωδίαν canat.

In mense Julio jussu Wilielmi Ducis Bavar. Monachii securi percussus est pistor,

pro hæretico, imo verius qui Christum profiteretur. Nisi Lutherum hæreticum, imo hæresiarcham, nisi Lutherianos hæreticos, cum Hieronymo Emsero & ejus similibus putes.

Prima die Julii Bruxellæ duo Augustiniani, prius Antwerpiæ ejecti, sunt eodem & crimine & nomine exusti: tertio vero Julii itidem tertius: magna omnes constantia Christum & veritatem & doctrinam Evangelicam professi, fortiter in Domino defuncti, hoc verbo: *JEsu fili David miserere mei!* frementibus plebejis. Adducti instar Christi ad tria tribunalia 1. Judicio, Episcopis & sacris vere sacris. 2. Judicibus & Senatui Bruxellensi. 3. Consiliariis Dominæ Margaritæ; qui eos tradiderunt carnifici, carnifices per carnifices. Quid enim aliud facerent carnifices? nullis non carnificibus immaniores. Juniori nomen fuit Johannes Nesse, Successori autem Jacobi præpositi olim Antwerpiens. Prioris Christi per carcerem confessoris Lamberto. De duobus die prima Julii exustis Lambertus Mulmannus Augustalis satelles, qui incendio interfuit, ex Bruxella ad me Georg. Spalatinum scripsit.

A.

A. MDXXIV.

Augustiniani Nurmbergens. die Resurrectionis dominicæ, ut mihi Prior eorum Volfgangus Volprechtus scripsit, ultra 3000. homines toto sacramento communicaverunt; utcunque frementibus Ferdinando, Episcopis, Cardinale Legato, Pharisæis. Ex Ferdinandi aulicis plus minus XXX. vel XL. & ipsi totum sacramentum ab Augustinian. acceperunt. Nurmbergæ mandatum emissum. Palmæ non consecratæ. Crucifixi effigies sepulchro non est imposita. Nec positum sepulchrum. Neque azyma neque ignes consecrati. Sed ne asinus quidem palmarius circumvectus est Nurmbergæ, quamvis Episcopo Bambergensi ut loci ordinario jubente, ut nihil antique consuetudinis contemneretur.

Nonnulli etiam ex Regimine Imperiali Nurmbergæ sub utraque specie communicaverunt.

Evangelistæ Nurmbergens. multo fortius pro concione detonant præsentibus quam absentibus Papæ creaturis Legato Cardinale Campegio, Jo. Fabro Constantiens. Jo. Eccio, Cocleo.

Minoritanus concionator Nurmbergæ Senatus autoritate juſſus eſt tacere poſthac, ut auſus in Quadrageſima prædicare, Chriſtum pro originali & actualibus tantum ante ſe patratis paſſum. Nam peccata poſt paſſionem Chriſti facta bonis operibus noſtris redimenda eſſe. It. Confeſſionem auricularem ab Apoſtolis inſtitutam eſſe.

Nihil promovit Legatus Senatui de Evangeliſtis conqueſtus.

Reliquias ſuas Nurmbergenſes non amplius ut hactenus oſtentabunt.

Dominicus Sleupnerus Evangeliſta Sebaldinus Nurmbergæ ad me ſcribens addidit: *ex Cœnobio Huſſitarum S. Auguſtini.*

Menſe Majo obiit Antonius Tucher, Major natu Senator Nurmberg. XL. & amplius annis in eo ordine magna cum laude & benevolentia S. P. Q. Nurmbergenſ. verſatus, paulo poſtquam hoc rogans multis precibus ſucceſſorem accepiſſet Caſparem Nutzelium, patritii illic ſanguinis hominem, Evangelii amiciſſimum.

Die prima Junii ruſtici in vico Poppenreut non ita longe a Nurmberga conventu magno coacti ſeſe niſi ſunt ſic vendicare in libertatem, ut etiam tributa negarent magiſtratibus. Et vocarunt in hoc

Caro-

Carolum Auguſtinianum Concionatorem Nurmbergæ; cum dixiſſet ſolvendum tributum vectigal, parum abfuit, quin vitam miſero adimerent, cauſati canere palinodiam.

Nurmbergæ uno die abrogatæ ſunt miſſæ & vigiliæ defunctorum, reſtitutusque mos eſt inſtituti Chriſti totum ſacramentum Euchariſtiæ dandi communicantibus, non negato ut aliquamdiu ſanguine Chriſti.

Feria III. poſt diem Viſitationis Marianæ Guilielmus Neſenus, dum refocillandi animi gratia navigat cymba in Albi ad Wittembergam, e regione horrei laterarii Principis noſtri e navicula delapſus periit, piorum omnium magno dolore, Vir bonus & multis dotibus non vulgaribus inluſtris. De quo caſu Philippus Melanchthon inter alia ſic ad me ſcripſit: *Ego pene exanimor quoties hunc miſerabilem caſum propius conſidero.* Doctor vero Mart. Lutherus ita & ipſe de hac re ad me: *Neſenum Satanas abſtulit, tribus ſociis miraculoſe ſervatis, ne & hos perderet. Conturbavit nos iſto caſu vehementer, & aperuit os blasphemantibus, ſed mutaturus id Deus in gloriam ſuam, poſtquam indurati & excœcati fuerint Amoræi hac infirmitate populi ſui Iſrahel.*

Apud

Apud Aldenburgenſes in Miſnia Dominica poſt diem Ægidii, quæ quarta fuit Septembris, cœpta eſt veteris forma publicæ pœnitentiæ, ut mihi ſcripſit Doctor Vinceslaus Lincus illic Eccleſiaſtes. Adulter enim cum conjuge adultera acceptus ad pœnitentiam eſt, hac lege; primum ut ante fores templi ſtent humiles, & populo ingredienti ad miſſam & exeunti ſe exhibeant, ut pro ipſis Deum orent, donec agnita ipſorum humilitate recepti Eccleſiæ reſtituantur: deinde conſtricti ſunt ad manum Senatus, ut annis aliquot niſi permiſſu oppidi conſepta non exeant. Quibus in literis in calce hic Vir addidit; *Utinam omnes pecuniariæ multæ prorſus abolerentur, quibus fures aluntur præfecti, & pro ædificatione populi ac animarum ſalute vitia punirentur!*

Doctor Martinus Lutherus Dominica poſt Franciſci ſine cuculla Wittenbergæ prædicavit. Dominica Galli ante prandium rurſus in concionem cucullatus prodiit, poſt prandium vero ſine cuculla concionatus. Ut falſus ſit Eraſmus, ut amiculus ad me ſcripſit, ad me ſcribens, *Lutherum docere ea licere, quibus ipſe non utitur.*

Die

Die XVII. Septembr. Divo Lamberto ſacro Viennæ in Auſtriis Caſpar Tauber, illic civis, invictus Chriſti & Evangelii gratiæ Dei confeſſor, primo decollatus, mox tractus, tandem exuſtus, fortis in Domino, dulciter hanc vitam modis omnibus miſerabilem cum morte, imo mortem cum vita æterna permutavit.

Auguſtiniani Nurmbergenſ. ut mihi eorum Prior Volfg. Volprechtus ſcripſit, ad unum omnes & ſe & ſua obtulerunt fidei Senatus illic, excuſſis cucullis in cives redigendi.

Dominica II. Adventus autoritate Senatus Nurmberg. interdictum eſt Prædicatoribus & Minoribus cura & viſitatione, pene dixeram, corruptione ſanctimonialium Catharinæ & Claræ.

A. MDXXV.

Andreæ Bodenſteynii Carolöſtadii uxor Mochæ Veterani filia, filiolo ſecundo, ut ad me ſcripſit Doctor Caſpar Glatius, abſente marito, Orlamundi nato, ſignum baptismatis negavit, ſed & ipſa ei nomen Andreæ indidit. Ex inferiori Germania ſcribebatur nonnullis principibus, Bernardum Carmelitam, ætate quinquagenarium,

um, virum pium & eruditum, & fortem Evangeliſtam in oppido Britz quinque aut ſex milliaribus a Mechlinia martyrem factum Chriſti. Nam reliquos monachos falſos fratres & filios Belial tantas homini paraſſe inſidias, ut adductum in invidiam tanquam hæreticum ad ignem raperent. In ignem autem ter fruſtra conjectum: nam ignem ſemper extinctum; donec inventus ſit, qui malleo caput ejus percuſſum interemerit. Poſteo cadavere denuo in ignem injecto ignem ut antea reſtinctum, & cadaver ex oculis adſtantium diſparuiſſe, ſecuta conſtanti fama, virum Dei ad cœlum translatum eſſe.

Apud Metenſ. ad CCCC. nunciabantur ad unum omnes nullo diſcrimine tum ætatis tum ſexus cæſi, quod pertinacius ab Evangelio ſtare viderentur, Senatuique e Rep. eſſet.

Philippus Heſſorum Princeps Duci Georgio Saxoniæ ſcripſit, ſe cum Comite Palatino ſtatuiſſe, ut Evangelio locus in ditione ſua fiat, victus veritate. Hæc ad nos Lutherus, Vir Dei, Dominica Reminiſcere.

Philippus Regulus Heſſorum Fer. II. poſt Oculi Principes noſtros Ducem Johannem Saxon. & Ducem Joh. Fridericum filium

Cru-

Cruceburgi convenit, ausus adfirmare Duci Johanni Friderico, *se prius cessurum tum vitæ & corpori, tum principatui & civibus & subjectis, quam a verbo Dei defecturum*, ut Dux Joh. Fridericus Magistro Vito Warbeno scripsit huc Locham, usus his verbis, ut vidi autographon Principis: *Er welle ee Leib und Leben, Land und Leut lassen, denn von GOttes wort weichen.* DEus igitur ejus animum confirmet, & ejusmodi multos excitet principes!

Die XXV. Aprilis, quæ erat Fer. III. post Quasimodogeniti, S. Mauro sacra, ex Holtzdorffio & Loba huc Locham reversus, reperi in cubiculo meo literas Principis Adalberti Marchionis Brandenburgii, nuper summi Magistri Ordinis Teutonici, Brigis in Silesia datas die XIX. Aprilis, cum hoc titulo: *Von GOttes Gnaden Albrecht Margraf zu Brandenburg, zu Preussen, Stetin, Pommern, der Cassuben und Wenden Herzog.* Quibus significavit mihi G. Spalatino clementer scribens, bellum inter ipsum & Regem Poloniæ christiane & finaliter esse compositum, ita ut Prussiam in feudum a Rege Poloniæ acceperit, hilaris quod ex compedibus adversarii nostri Satanæ tandem liberatus sit, rogans primo,

ut

ut mitterem primo quoque tempore in Prussiam egregium aliquem Ecclesiasten: deinde nova præcipue excusa typis.

Die Veneris post Misericordias Domini, quæ est Divo Gothardo sacra, & eo anno quarta dies Maji, obiit Lochæ Princeps noster pientissimus, Dux Fridericus Saxon. Sacri Rom. Imperii Archimarscalcus Elector, Pater Patriæ, omnium ingeniorum, artium, studiorum, libero homine dignorum, Mæcenas & Patronus beneficentissimus, JEsu bone! quantum decus, quantum ornamentum totius Rom. Imperii imo Christiani Orbis! De sepultura parum præsumpsit, adeo nihil moratus, ut quicquid hoc esset, fratris germani & reliquorum fidei permitteret, non obscuris verbis testatus, si fratri placeret, sepulturam Wittebergæ habiturum; deinde sibi non probari, quod olim autore monacho a confessione testamentum condidit, ita ut credam facile passurum fuisse, ut ubilibet humaretur. Tam hoc nihil prorsus curæ erat morituro! Itaque in nomine Domini humatus est Wittebergæ in Divis omnibus, Illustrissimi fratris germani Ducis Johannis Saxoniæ Electoris consensu, modo & ratione, ut est in Germanica descriptione,

ne, per me G. Spalatinum in arctum conlecta, cerimoniis sane & cantibus christianis. Fratrem germanum hæredem instituit. Nonnulla propinquis & ministris legavit, amicorum & inimicorum tam pie recordatus, ut jucundissimum sit cogitatu, dictu, auditu, utque sit exemplum imitabile omnibus Principibus, imo omnibus Christianis. Rationem fundationum paucissimis verbis sic complexus est, ut posteris testatum fecerit, quidvis potius passurum, quam ut abominationes ullæ diutius perdurarent. Quin potius ut salvis viventium possessorum reditibus & proventibus omnia in veram DEI culturam verterentur. Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini nostri Jhesu Christi secundum institutionem Christi magna cum pietate accepit, prius peccata confessus. Post Eucharistiam, ut audio, versus ad suos a cubiculo, qui cum ipso fuerunt in triclinio, *Filioli*, inquit, *charissimi*, (erat enim hoc verbum suavissimum optimo Principi ad suos crebro in ore) *per DEum vos omnes obsecro, ut si unquam vel verbo vel opere offendi, mihi propter DEum condonetis. Idemque omnes mortales propter DEum meo rogatu oretis, ut, si quos vel*

ſermone vel factis læſi, mihi ignoſcatur. Solemus enim nos Principes multis modis gravare pauperes & multa perperam facere. Hæc locutus lachrymas emiſit, ad quas, quicunque interfuere, fleverunt. His flentibus optimus Princeps dixit: *Filioli mei dilecti, nolite me flere: videbitis me non non diu victurum. Mementote mei! Orate DEum pro me!* Ita patienter pertulit dolores, quos ſuſtinebat graviſſimos, ut mirum patientiæ exemplum dixeris. Obiit autem fer. VI. poſt Miſericordias Domini, intra V. & VI. poſt meridiem ſub veſperam ita leniter, ut dormienti ſimilis expiraret. Cujus animæ DEus Opt. Max. in æternum faveat, & ſempiternam det vitam, ſalutem, requiem & felicitatem. Amen! Poſtridie Sabbato poſt Miſer. Domini conſilio medici Doct. Heinr. Stromeri Aurbachii exectus & exenteratus eſt. Inventi ſunt in felle ejus, quod mireris, tres lapilli diverſæ magnitudinis. In dextero etiam rene admirandæ magnitudinis lapillus, ſic orificio oppoſitus, ut optimo Principi facultatem mejendi ademerit. Splen pene computruerat. Corruptum erat etiam jecur. Veſica prorſus inanis inventa eſt. Deinde corpus lotum condituris aro-

aromaticis clausum est capulo picatumque. Ita jacuit a Sabbato usque ad Fer. IIII. post Jubilate.

Feria IIII. post Jubilate corpus Principis portatum est Locha Wittenbergam. Wittebergæ exceptum omnium ordinum pompa, christianis cerimoniis & cantionibus. Funebrem orationem habuit Phil. Melanchth. concionem vero D. Mart. Lutherus mire christianam, mire consolatoriam. Fer. V. post Jubilate sepultum est corpus Principis in Divis Omnibus post concionem D. Mart. Lutheri, ut pridie, eximie piam.

Fer. III. post Trin. quæ fuit XIII. Junii duxit Wittebergæ christianissimus Evangelista noster, Germanorum Apostolus, Dei Vir, D. Mart. Lutherus Catharinam a Bora, olim sanctimonialem Nymptschensem ad Grymmas : id quod DEus Viro optimo faustum, felix, fortunatumque perpetuo faxit ! Tantam rem primus omnium D. Justus Jonas noster Præpositus Wittembergens. literis sequentibus huc Torgam nunciavit postridie.

Gratiam & Pacem DEI! Rei insigniter novæ nuncia Tibi venit hæc mea epi-

ſtola, mi Spalatine. Lutherus noſter duxit uxorem, Catharinam de Bora. Heri adfui rei, & vidi ſponſum iu thalamo jacentem. Non potui me continere, aſtans huic ſpectaculo, quin illachrymarem, neſcio quo affectu animum percellente, quandoquidem ſic noſtra res cecidit & DEus voluit. Precor optimo & ſinceriſſimo Viro, chariſſimoque in Domino parenti, plurimam felicitatem. Mirabilis DEus in conſiliis & operibus ſuis. Bene Vale. Hodie prandiolum quoddam inſtruit, juſtas opinor nuptias alio tempore, quo & tu aderis, celebraturus. Bene vale. Quarta poſt Trinitatis. Hæc ſignificavi Tibi ad hanc rem ſolam conducto tabellario. Sub aurora. Adfuerunt heri rei Lucas pictor cum uxore, D. Apel, Pomeranus, (Philippus non adfuit) Ego.

Hæc Juſtus Jonas noſter Præpoſitus ad me G. Spalatinum. Idem ſcripſit nobis Fer. IIII. vigilia corporis & ſanguinis Domini Georgius Blochingerus. Et fer. VI. poſt Trinit. Pomeranus noſter Eccleſiæ Wittenberg. Epiſcopus in hæc verba: *Maligna fama effecit, ut D. Martinus inſperato fieret conjux. Poſt aliquot tamen dies publica*

ea ſolennitate duximus iſtas ſacras nuptias etiam coram mundo venerandas, quando & tu procul dubio vocaberis. Eadem etiam D. Johannes Nobilis a Plaueritz Eques auratus Conſiliariis principalibus huc Torgam ſcripſit e Witteberga. Imo poſtea ipſe D. Lutherus noſter mihi ſic ſcripſit. (Sequuntur jam Lutheri tam ad Spalatinum, quam ad Stifelium ea de re literæ, quas non exhibeo, cum in Sekendorfii Comment. de Lutheranismo L. II. §. V. f. 16. extent.) Sic poſtea Philippus Melanchthon noſter Doctori Venceslao Lineo ſcripſit. Quas literas vidi & legi & deſcripſi, apertas & Magiſtro Sebaldo olim Aldenburgenſi Aromatopolæ datas illuc perferendas.

S. D. Doctor Martinus duxit uxorem quod fauſtum felixque ſit. Hoſpites ad convivium nuptiale vocantur auf Zinstag poſt Johannis Baptiſtæ. Nolebat te vocare, ne ſumptus ſua cauſa faceres. Ego vero te per noſtram amicitiam rogo, ut venias. Ut præbeatur Doctori Hieronymo amplior materia diſputandi. Philippus.

Eadem veſpera paulo poſtquam Phil. Melanchth. epiſtolion deſcripſeram, venerunt mihi a Doctore ipſo Mart. Luthero noſtro literæ, quibus me ad epulum ſuum nuptiale vocavit, ita ſcribens:

Gratiam & Pacem a Domino! Epulum meum & Catharinæ meæ futurum eſt proxima feria tertia, hæc eſt poſt feſtum Johannis Baptiſtæ. Ad quod, ut ſerio te intelligam gratulari nuptiis meis, voco te, mi Spalatine, & oro, ne deſis. Scripſi quoque Marſcalco pro ferina, & ſimul vocavi. Tu dabis operam, ſi quid impetrari valeat. Fer. IIII. poſt Viti 1525.

Eadem æſtate DEI voluntate, Principis noſtri Clementiſſimi Electoris Ducis Johannis Saxoniæ juſſu, & vocatione Senatus populique hic Aldenburgenſ. redeunte Doctore Vinceslao Linco Nurmbergam, ego G. Spalatinus huc Aldenburgum extruſus ſum in miniſterium verbi divini, ſubſcribente D. Mart. Luthero, Juſto Jona Præpoſito, & Johanne Pomerano Epiſcopo Wittebergenſi, Phil. Melancht. Nicolao Amsdorfio, & Johanne Agricola Eislebio.

In

In menſe Septembri miſit Illuſtriſſimus Princeps noſter Dux Johannes Saxoniæ Elector, me G. Spalatinum Wittebergam ad reſtituenda ut alia multa in Schola illa Chriſtiana, ita ad augendam Phil. Mel. mercedem centenis annuis aureis, ut poſthac ſit habiturus CC..... quotannis.

Sabbato poſt diem S. Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ totus Papa, ut mihi D. Juſtus Jonas ſcripſit, e templo Divorum Omnium Wittebergæ ejectus eſt, rejectis etiam ſtolis ..... & togis lineis, mutatis prioribus cerimoniis in pias & literis ſacris conſentaneas.

D. Mart. Lutherus reſpondit Antidiatribe ad Diatriben Eraſmi Roterodami de libero, imo de Servo Arbitrio, *daturus operam*, ut ad me ſcripſit, *ut nihil pateretur illum recte dixiſſe, ſicut vere nihil recte dixerit.*

Dominica S. Eliſabeth ego Georgius Spalatinus Catharinam Johannis Heidenreichii ſive Streubel hic Aldenburgi filiam duxi domum, nuptiali convivio tribus menſis ita volentibus amicis edito: primus omnium Canonicorum, qui id ipſum hic tentaret. DEus faxit, ut in gloriam ſuam

vortat, nedum noſtram ſalutem! Et ſane quî male verterit res DEI verbo ſancita?

Dominica Eliſabethæ octava Præpoſitus Heinricus a Bunau, Decanus Magiſter Conradus Gerhardus, & Capitulum hic Aldenburgenſe, non contenti antea ſcripſiſſe, cum meum conjugium res ſit aliena; uti credatur a ſacerdotibus Eccleſiæ Catholicæ hactenus, facile dare veniam de non invitando ad convivium meum nuptiale, ſcripſerunt non ſolum inepte multa, ſed etiam impie, *ſecundum Theologos & Canoniſtas me keyn redlich noch Chriſtlich Ee volzieben, ſondern auch, wo ich ſie volzogen hett, nicht ſeliglich beſitzen mocht:* mit *anhangender Ermanung und bete in meiner vermeinten Ee nicht lenger zu verharren; mit anhangender Bedrauung mir den Genyeſs der Kirchen aufzuhalten und nach Ubung der Rechte den falls gegen mir zugebaren.* Hæc eſt carnis ſapientia contra Chriſtum & verbum ejus.

D. Chriſtiernus Rex Danorum ex Middelburgo Zelandorum XVI. Kal. Novembr. mihi ſcripſit, mire illic fervere verbum DEI atque augeri ſanguine Martyrum.

Iisdem

Iisdem diebus venit ad me exemplum Caroli Imperatoris Edicti contra Evangelion in Hollandiam transmiſſi ex Hiſpaniis.

Multi ſacerdotum publice juſſi ſunt Illuſtriſſimi Principis noſtri D. Johannis Ducis Saxoniæ Electoris partim literis, partim mandato, abſtinere ſcortis, evangelion pure prædicare, pie celebrare, & ſacramenta ſecundum Chriſti inſtitutionem porrigere.

A. MDXXVI.

In Vigilia Reſurrectionis dominicæ D. Chriſtiernus Rex Daniæ huc Aldenburgum vix duobus miniſtris comitatus ex Germania inferiore venit, ſtatim poſtridie hinc ſub primas noctis tenebras profectus, mecum multa mira clementia ut a prandio, ita a cœna, quibus immerentem adhibuit, locutus.

In menſe Aprili die XXX. quæ fuit hoc anno dies paſſionis dominicæ, obiit D. Chuonradus Mutianus Rufus, Decretorum Doctor, Canonicus Gothenſis, præceptor meus, vir doctiſſimus & omnium ſeculorum memoria digniſſimus, de quo inter alia D. Fridericus Meconius, Eccleſiaſtes Gothenſ. ad D. Georgium Brunum Duca-

lem Cancellarium ſic ſcripſit: *Mutiani doctiſſimi viri mortem jam prioribus literis meis ſignificavi candori tuo. Utinam hæc lux, adhuc luceret, ſi non omnibus, multis tamen atque iis doctiſſimis, & per hos aliis! Sed placeat nobis, quod placuit Chriſto, cujus ſe voluntati vir ille, tranquillitatis ac pacis amator, totum ſubjecerat. Argumento eſt, quod priori die ſedens, & neſcio quid ſecum gerens certaminis arrepto calamo ita ſcripſit: Multa ſcit ruſticus, quæ philoſophus ignorat: Chriſtus vero pro nobis mortuus eſt, qui eſt vita noſtra: quod certiſſime credo. Et ante mortem toto pectore ſe dedit ad pellegendum myſteria Novi Teſtamenti. Deo igitur ſit laus & gratia, tantum virum ante mortem aſſecutum cognitionem Chriſti, quæ ſola ut juſtificat, ita etiam ſalvat credentes in nomine ejus.* Hæc hominis ultima vox fuit, ut ad me ſcripſit D. Fridericus Mecunius Concionator Gothenſ. & qui lateri morientis accubuit Marcellus Regius: *O Jheſu reſpice famulum tuum!*

Sabbato poſtridie Laurentii Princeps noſter Elector Saxoniæ (Spiræ in comitiis imperialibus) audito in ædibus Principis Heſ-

Heſſorum ſermone, domum rediit, miſſis in Senatum Imperii ſuis conſiliariis. Ubi cum ageretur de ope contra Turcas ferenda, adnuentibus prophanis tum Principibus tum ordinibus, ſoli reſtiterunt ſacri, cauſantes, ſic a ruſticis ſeditioſis in ordinem & inopiam redactos, quum ut nihil minus quam hoc præſtare poſſent. Hic ergo fuerunt, qui libere reſponderent: *Non deeſſe pecuniam, ſi quando pro opprimendo Evangelio pendenda ſit.* Dixit nobis in cœna Matthias Leimbergius, Erasmum Rot. mire conſternatum editione Servi Arbitrii, ei libello non reſponſurum, jam ſcribere de Conjugio. Buſchius vero a Rege Gallorum revocatum Jacobum Stapulenſ. & nonnullos alios, & reverſos liberatos XII. captivos, quos Evangelii nomine Parlamentum conjeciſſet in carcerem. Item Wormatiæ VI. mille exemplaria Novi Teſtamenti Anglice excuſa. Id operis verſum eſſe ab Anglo, illic cum duobus aliis Britannis divertente, ita VII. linguarum perito, Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, Italicæ, Hiſpanicæ, Britannicæ, Gallicæ, ut, quamcunque loquatur, in ea natum putes. Anglos enim, quamvis relu-

reluctante & invito Rege, tamen sic suspirare ad Evangelion, ut affirment, sese empturos Novum Testamentum, etiamsi centenis millibus æris sit redimendum. Adhæc Wormatiæ etiam Novum Testamentum Gallice excusum esse.

Hæc sufficiant.

HI-

HISTOIRE DE LA BIBLE DE SIXTE QUINT

Auec des Remarques pour connoistre la veritable Edition de 1590.

Par Proſper Marchand Libraire a Paris (a)

M D CCIV.

LEs Verſions Latines de la Bible ſe'stoient tellement multipliées vers le milieu du Seizieme Siecle, qu'il y auoit lieu de craindre qu'on ne viſt arriuer de nouueau. ce qu'on auoit deja veu du temps de ſaint Jérosme, † ou lon trouuoit au

(a) Rariſſimam eſſe editionem Verſionis Vulgatæ, Sixti V. Pont. Max. auſpiciis Romæ A. 1590. curatam, nemo neſcit. (vid. opellæ noſtræ Part. II. p. 358.) Digna igitur mihi viſa eſt, quæ ex Bibliotheca Krafftiana in lucem protrahatur, diſſertatio Proſperi Marchand, Librarii, de re literaria vel ſolo illo labore, quem in recentiſſimam Roterodamenſem Dictionarii Bæliani editionem impendit, præclare meriti nondum publicata, cum ea accuratam perraræ illius editionis notitiam præbeat.

† Hieron. præf. in Joſue.

autant de verſions differentes, que de differens exemplaires; parce que chaque particulier prenoit la liberté de corriger le Sien, & le retranchoit, ou l'augmentoit, a ſa fantaſie.

Pour préuenir ce malheur, le Concile de Trente aſſemblé, pour lors, † declara *autentique* La nouuelle Vulgate, * attribuée communement a St. Jerosme, & dont on ſe ſeruoit depuis pluſieurs Siécles dans toute l'egliſe d'occident, mais comme les exemplaires en eſtoient fort corrompus, a cauſes de la liberté, que chacun s'étoit donné de la retoucher, le même concile. †† ordonna auec beaucoup de prudence qu'on l'imprimeroit le plus correctement qu'on le pourroit: ce qui êtoit deuenu trés difficile parce que la quantité de diuerſes leçons, dont les exemplaires êtoient remplis, embaraſſoit extrémement ceux qui vouloient choiſir la véritable.

Ce fût donc pour débroüiller ce cahos, & pour ſe conformer à la déciſion du concile, que Pie IV.** après auoir choiſi quelques

† en. 1546.
* Concil. trid. Seſſ. 4.
†† Conc. trid. Seſſ. 4.
** Præf. Bibl. vulg. edit. Waddingi Script. Ord. minor. 319.

ques cardinaux & d'autres ſçavans hommes dans la connoiſſance des Langves, & fort verſés dans l'étude de l'écriture, leur ordonna de corriger exactement la vulgate ſur les anciens manuſcrits, ſe ſeruant pour cet éffet du texte hebreu, & du grec, quand ils ſeroient obliges d'y auoir recours, & conſultant les expoſitions que les SS. Peres nous en ont laiſſées. Pie V.† ſon Succeſſeur pourſuiuit le même deſſein, mais ayant ête interrompu pour des affaires trés preſſantes du St. Siege, on ne le reprit que ſous le pontificat de Sixte quint. Mr. Simon n'eſt pas de ce ſentement: il dit tout au contraire dans ſon Hiſtoire Critique du vieuz teſtament. †† que Sixte V. entreprit le premier ce trauail.

Mais il eſt trés aiſé de faire voir qu'il * ſe trompe, puisque ce Pape luy même, la préface que l'on met ordinairement à la téte de nos Bibles††† & Wadding ** nous diſent préciſement le contraire. *Sixte* quint voulant donc acheuer ce grand ouurage

† Ibidem.
†† p. 527.
* Bulla Sixti V. Biblior. 1590.
††† Vulg. edit.
** Wadding. p. 319.

urage entrepris par ſes prédeceſſeurs, raſſembla les hommes les plus ſçauants, & les plus habiles Critiques qu'il put trouuer pour continuer la correction dêja commencé : mais il ne s'en raporta pas tout à fait a eux ; au contraire il prit ſoin, comme il nous l'aſſure † de choiſir luy même le meilleur de ce qu'ils auoient recueilly parmi les diuerſes leçons, & les expoſitions des peres, en fin il fit imprimer en 1588. †† dans l'Imprimerie qu'il venoit de faire conſtruire au vatican, vne nouuelle edition de la vulgate, plus exacte que celles qu'on auoit vües jusqu'alors & c'eſt auec Juſtice comme le remarque fort bien Monſieur Simon, *qu'on nomme cette Bible, la Bible de Sixte V. puis qu'il y eût la meilleure part, & qu'on en eſt redeuable à ſes ſoins.

Come il vouloit qu'elle fût extremement correcte, ††† il la relut auſſitôt qu'elle fut

† Bull. Sixt. V.

†† Le titre de la bible porte qu'elle eſt impr. en 1590. mais la bulle de Sixti V. dat ée du 1. mars 1589. prouue manifeſtement que c'eſt en 1588. puis qui luy a fallu le tems de la relire avant que de donner ſa bulle.

* Hiſt. crit. du V. T. 527.

††† Bull. Sixt. V.

fut imprimeè, & corrigeà non ſeulement de ſa propre main les fautes d'impreſſion qui s'y êtoient gliſſées, mais il fit imprimer encore les corrections pour les coler dans tous les exemplaires, ſur les fautes qu'on y auroit laiſſées. Cette grande exactitude luy fut cependant aſſez inutile, ſi comme le raportent la préface ordinaire de nôtre vulgate & Wadding dans ſon traité *de ſcriptoribus ordinis minorum*, * il trouva ſa Bible ſi peu en etat dêtre publieé, qu'il la ſúprima ſur le champ, † & qu'il conceut le deſſein d'en recommencer vne nouvelle edition, ce quil ne put néamoins exécuter, la mort l'ayant prevenu.

Je ne ſcaurois être de ce ſentiment, car outre qu'il n'eſt pas vrayſemblable, que Sixte ait pris la peine de corriger les exemplaires d'un Livre, qu'il auroit eu deſſein de ſuprimer, c'eſt qu'il n'en auroit laiſſé ſortir aucun de ſon imprimerie; cependent l'o'n en voit pluſieurs dans les Bibliotheques publiques & particulieres; & même de reliès ſi magnifiquement avec ſes armes, qu'on ne peut douter, que ce

* Pag. 319.

† Quelque perſonnes diſent que les exempl. de cette Bible ont êté brulés par ordes de Sixte V.

ne ſoient des préſens qu'il en a faits a des perſonnes de conſideration, ce qui prouve encore trés fortement, qu'il ne l'a pas ſuprimée. Dailleur Gregorio Leti, hiſtorien aſſez exact de Sixte V. † rapporte ſeulement qu'il avoit fait faire vne édition de la Vulgate, qui avoit donné occaſion de parler a pluſieurs perſonnes, mais il ne dit pas vn mot de cette pretendue ſupreſſion, qv'il n'auroit pas paſſée ſous ſilence ſi elle auoit eu quelqu' apparence de verité.

Il ſeroit, ce me ſemble, plus probable de croire, que des que Sixte V. fut mort, ce qui arriua la même année de la publication de ſa Bible, quelques perſonnes qui auoient reconnu, qu'elle n'etoit pas ſi correcte qu'il l'avoit penſé, le declarerent librement que ce bruit la fit ſuprimer aprés vn ſerieux examen, & qu'enfin on entreprit vne nouuelle correction, qui ne fût acheuée que ſous le pontificat de Clement VIII. Ce ſentiment léue touttes les difficultés, en éffet ce n'eſt plus inutilement que Sixte V. à pris la peine de corriger ſon editio puis

† Vita de Sisto V. L. 2. p. 399.

puis qu'il êtoit dans le deſſein d'en procurer & d'en etablir l'usage, & les exemplaires qu'on en voit encore aujourd'huy dans les Bibliotheques, ont pû être tirés de ſon Imprimerie auant ſa mort, qui n'eſt arriuée que le 27. aouſt 1590. †

Quoy q'uil en ſoit il eſt certain, qué malgré la Bulle qu' auoit donnée Sixte V. en faueur de ſon edition, Clement VIII. en publia vne ſeconde deux ans aprés, †† mais ſi differente de la premiere que Thomas James, Proteſtant Anglois fit vn recueil malin de ces differences, ſous le titre de *bellum papale ſiue concordia diſcors Sixti quinti, & Clementis octavi circa hieronymianam editionem.* Ce recueil fut imprimé à Londres en 1600. in 4. & en 1678. in 12. depuis la publication de la Bible de Clement. VIII. les exemplaires de celle de Sixte V. ſont deuenus tres rares; Les curieux les recherchent auec ſoin, & les achetent fort chers. On les confond aſſes ſouuent avec ceux de la Bible de Clement VIII. & quelque fois on les vend l'un pour l'autre & même auec Connoiſ-

† Mezeray l. 7. p. 74.

†† En 1592. in fol. il y en a eu vne ſeconde edition. 1693. in 4.

ſance de cauſe, pour èviter la mepriſe & reconnoiſtre indubitablement quelle eſt la veritable, j'ay recueilly les remarques ſuiuantes, auec les quelles on me ſçauroit ſe tromper.

Remarques
Pour connoitre la veritable Bible De SIXTE QUINT.

ON peut aiſément connoitre la véritable Bible de Sixte quint, par pluſieurs remarques differentes ; 1mo par les preliminaires, c'eſt a dire le frontiſpice, vn titre gravé, la Bulle de ce Pape, le catalogue des Liures de la Bible &c. 2do par le nombre des pages, & par l'inſcription latine des livres de l'ancien Teſt. 3tio par la diſpoſition des verſets, qui eſt fort differente de celle dont s'eſt ſerui Clement VIII. 4to par les mots collez que fit mettre Sixte quint ſur les fautes de ſon edition. 5to par des fautes d'impreſſion. 6to par des caracteres particuliers, 7mo & en fin en la confrontant avec le Bellum papale de Thomas James, qui fait voir en quoy elle differe de celle de Clement VIII. I. Les preli-

preliminaires de la Bible de Sixte quint ſont dispoſés de cette ſorte, on trouue d'abord vn frontiſpice imprimé en Caractéres rouges & noirs, dont voicy la copie

* Biblia
* Sacra
† Vulgatae
† editionis
* tribus tomis
† diſtincta
† Romæ

* Cequi eſt marqué d'un aſteriſc eſt impr. en rouge.
† Cequi eſt marque d'une croix l'eſt en noir.
Le frontiſpice de la Bible de Clement VIII. eſt presque de même a la reſerve de ces mots, *tribus tomis diſtincta*, qui n'y ſont point, & de ceux cy *Apoſtolica Vaticana* qui ſont en Lettres majuſcules.

* ex Typographia Apoſtolica Vaticana.

† M. D. XC.

Aprés ce frontiſpice imprimè, on en trouue vn autre graué, * dont on peut voir la copie dans la Bible de *Mariana*, imprimé a Anuers en 1624. en 2. vol. in folio, à quelques petites differences prés

* C'eſt le même dans celle de Clement VIII. tout ce qu'il y a de different c'eſtque ces mots: *ad concilii tridentini praeſcriptum emendata et* n'y ſont point.

on voit ces mots dans le Cartouche du milieu.

Biblia Sacra
Vulgatae editionis
ad
Concilii Tridentini
Praescriptum emendata
Et
A Sixto V. P. M.
Recognita & approbata.

DAns vn autre cartouche, au dessus de celuy dont je viens de parler, le Sacrifice d'Abraham est représenté auec ces mots directement au dessous du Sabre d'Abraham, *vnigenito non pepercit.* gen. 22. le mot de *pepercit* est mis tout au long dans l'edition de Mariana. Vers le bas de la planche, au dessous de ces paroles *accipe & deuora &c. pag.* 10. on remarque ces trois Lettres ; M. G. F. qui signifient apparamment le nom du graueur.

Le decret * du concile de Trente sur les écritu-

* Ce decret se voit aussi dans la Bible de Cl. VIII. mais il est precede de la preface ordinaire de nos Bibles *In multis* & suivis de la Bulle de ce Pape *cum Sacrorum Bibliorum &c.*

écritures, de *Canonicis Scripturis decretam ex Concilio Tridentino Seſſione quarta* remplit le feuillet ſuiuant.

On trouue immediatement apres la Bulle de Sixte V. commençant par ces mots : *æternus ille cœleſtium terreſtriumque rerum Conditor ac moderator Deus &c.* & finiſſant par ceux cy : *dat. Romae apud ſanctam Mariam majorem, anno Incarnationis dominicæ* M.D.LXXXVIIII. *Kalendis Martii, Pontificatus noſtri anno quinto.*

Cette Bulle qui contient trois feuilles ſignaturée, **2, *3 : en precede vne 4. ſignaturée **, ſur la premiere page de la quelle on voit ces mots, *index ac ſeries Librorum veteris Teſtamenti &c.* ſur la ſeconde ceux cy : *Librorum veteris ac noui Teſtamenti Conſonantia &c.* ſur la troiſieme ces autres : *Bibliorum ſacrorum Tomus Primus &c.* & ſur la 4eme ce paſſage du premier chapitre de Joſué : *non recedat volumen legis hujus ab ore tuo &c.*

Mais comme toutes les remarques precedentes ne ſeruiroient de rien ſi l'on auoit joint ces preliminaires à vne Bible de Cl. VIII. on doit faire dans le corps du liure les obſervations ſuiuantes.

II. Cette Bible Contient 1141. * pages, dont la derniere n'eſt imprimé qu'a moitie, & finit par ces mots *finis tertii tomi, ac noui teſtamenti*, les quelles cependant ne ſont point dans l'exemplaire que l'on conſerue a la Bibliotheque de Sainte Geneuieue. † Je ne comprends pas dans ce nombre de pages, deux feuilles qui ne ſont point chiffrées, †† dont la premiere ſignaturée *** contenant ces mots *Bibliorum ſacrorum tomus ſecundus* ſe met aprés la page 480. & la ſeconde ſignaturée **** contenant ces autres mots: *Bibliorum ſacrorum tomus tertius nouum Teſtamentum comprehendens*, ſe place auant la page 901.

III. Les inſcriptions, ou ſi l'on aime mieux les titres particuliers de chaque livre de l'ancien teſtament ſont ſimplement en latin dans l'edition de Sixte V. au lieu que dans celle de Clement VIII. ils ſont non ſeu-

* Celle de Clem. VIII. n'en continent que 1131. au bout des quelles on ajoute àprés coup 24. pag. qui contiennent l'oraiſon de Manaſsé, & les 2. derniers Livres d'Esdr.

† Ces mots ne ſont pas non plus dans celuy de Mr. de la Moignon.

†† Ces 2. feuilles ne ſont point dans la Bible de Cl. VIII. quoy qu'elle ſoit diuiſée en 3. part. de même que celle de Sixte.

ſeulement en cette langue; mais l'on voit encore au deſſous le mot hebreux qui les exprime en caracteres latins, en voicy quelques exemples.

Bibl. Sixt. V. p. 1. LIBER GENESIS.
Bibl. Cl. VIII. p. 1. LIBER GENESIS.
HEBRAICE BERESITH.
Bibl. Sixt. V. p. 84. LIBER LEVITICI.
Bibl. Cl. p. 84. LIBER LEVITICI.
VAICRA.
Bibl. Sixt. p. 573. ECCLESIASTES.
Bibl. Cl. p. 573. ECCLESIASTES;
qui ab Hebræis COHELETH. appellatur.

IV. Les verſets de cette Bible ſont tout autrement diſpoſés que dans celle de Cl. VIII. comme elles ſont diviſées en trois parts, je vais en donner quelques exemples de chacune, afin qu'on puiſſe les debrouiller, ſi par hazard on auoit confondu quelques parties des deux Bibles dans vn même volume.

Exemples de la premiere partie. Gen. ch. 11.

Nomen vero fluminis tertii tigris, } Sixt. V. 11. Cl. VIII. 14.

Exode ch. 1. *quibus accerſitis ad ſe Rex ait.* } Sixt. V. 10. Cl. VIII. 18.

Exemple de la ſeconde partie.

Pſal. 34. *non dicant in cordibus ſuis &c.*	Sixt V.	28.
	Cl. VIII.	25.
Proverb. Cap. 6. *non grandis eſt culpa.*	Sixt. V.	13.
	Cl. VIII.	30.

Exemple de la troiſieme partie.

Matth. Cap. 1. *exurgens autem Joſeph a ſomno.*	Sixt. V.	45.
	Cl. VIII.	24.
Apocalypſ. Cap. 3. *Suadeo tibi emere aurum.*	Sixt. V.	14.
	Cl. VIII.	18.

V. Les Corrections, ou les mots que fit coler Sixte quint ſur les fautes de ſon edition contribuent encore beaucoup, a la faire reconnoiſtre, Thomas James a mis à la tete de *Bellum papale* vn index, de ces corrections; mais comme il en a oublié pluſieurs, en voicy un plus exact; ou celles dont James n'a point parlé, ſont marquées d'un aſteriſc.

INdex locorum manu ipſius Sixti, vel aliorum, in Bibliis ſuis poſt impreſſionem correctorum; à Th. James antea edit. nunc vero reſtitut.

* 1mo Bullâ Sixti quinti, pag. 9. lin. 22. 15.

2do

2do* ibidem, pag. 10. lin. 6. *aſſeruantur.*
3tio Genes. cap. 41. vers. 10. *prioribus.*
* 4to Exod. cap. 4. v. 3. *projecit.*
5to Numer. cap. 26. vers. 8. *jaſubitarum.*
6. Reg. Lib. IV. c. 6. vers 15. *incircuitu.*
* 7. Esdr. Lib. I. cap. 2. vers. 2. *Joſue* manu correct. pro *Jeſua.*
8. Esdr. Lib. II. cap. 12. vers. 1. *Joſue* manu correct. pro *Jeſue.*
9. Ibid. eod. libr. cap. eod. vers. 2. *Joſue* manu correct. pro *Jeſua.*
* 10. Ibid. eod. cap. eod. vers. 3. *Joſue* manu correct. pro *Jeſue.*
* 11. Ibid. eod. lib. cap. eod. vers. 6. *Joſue* manu correct. pro *Jeſue.*
* 12. Ibid. eod. lib. cap. eod. vers. 8. *Joſue* manu correct. pro *Jeſue.*
13. Judith. cap. 1. vers. 1. *altitudinem.*
14. Job. cap. 18. vers. 11. *in voluent pedes ejus.*
* 15. Pſal. 64. vers. 11. in verbo *inebrians.* duæ poſteriores literæ non expunctæ.
16. Pſ. 148. vers. 6. *ea.*
* 17. Pſ. 149. vers. 1. *domino* manu correct. pro *dumino.*
* 18. Proverb. cap. 30. v. 27. *Eſt* temere dicit Jameſius hoc verbum correct.

rect. cæteris enim glutine connectitur.

19. Cantic. Canticor. a cap. 1. ad vltimum, ſeu a Bibliorum pag. 579. ad 589. in verbo tituli paginar. *Cantica*, a correctum.

* 20. Cant. Canticor. cap. 2. vers. 8. venit manu reſtitutum, quod non notauit Jameſius,

21. Ibid. cap. 4. vers. 2. & 3. *greges.*

22. Cant. Canticor. cap. 7. vers. 1. *videbis.*

23. Ibid. cap. 8. vers. 5. de *deſerto.*

* 24. Sapient. cap. 8. vers. 9. *ſermocinante.*

25. Ibidem eod. cap. vers. 14. *quoniam immortalitas.*

26. Eccleſiaſtici cap. 5. vers. 15. *denotatio.*

* 27. Ibid. cap. 12. in titulo capitis litera numeralis X. manu reſtituta.

* 28. Ibid. cap. 25. vers. 2. *Senem.*

* 29. Iſaiæ cap. 3. vers. 17. *in terra ſedebit.*

30. Ibid. cap. 14. vers. 11. *inclinentur.*

* 31. Ibid. cap. eod. vers. eod. duæ poſteriores Syllabæ verbi *proſpiciant.*

32. Iſaiæ cap. 52. vers. 5. *nunc quid.*

* 33.

* 33. Daniel, cap. 7. vers. 6. & 14. infrá voces *cornua & quatuor ſunt regna quæ conſurgent de terrâ*; notas calami, de quibus Jameſius, non reper.

* 34. Ibid. cap. 41. vers 1. in verbo; Masphath. duæ poſteriores Litteræ *th.* expunctæ.

35. Baruch. cap. 4. vers. 16. *Exui me.*

36. Ezechiel. cap. 21. vers. 7. *limatus.*

* 37. Ibid. cap. 26. vers. 13. non reperies Correctionem, quam notavit Jameſius in verbo, *limpidiſſimam.*

* 38. Miche. cap. 4. vers. 3. *vitem.*

39. Zachar. cap. 12. vers. 5. hæc verba. *In Jeruſalem* expuncta prius, nunc luci reſtituta.

40. Machab. Lib. 1. cap. 5. vers. 29. *relinquatis.*

* 41. Marc. cap. 10. vers. 1. *inde.*

42. Act. Apoſt. cap. 7. vers. 6. verbum *et* expunctum.

* 43. Epiſt. Pauli ad. Tit. cap. 2. vers. in uerbo *pudici.* ſecunda, vel tertia Syllaba diſpuncta.

* 44.

* 44. Apocalyp. cap. 3. vers. 7. *ſcribe.*
* 45. Ibid. eod. cap. vers. 12. *a ſcribe.*

VI. Quelques fautes d'Impreſſion reſtées dans cette Bible, ſeruiront encore a faire connoitrè la véritable édition de 1590. 1mo toutes les pages du Liure des nombre de puis la 109. jusques a la 144. portent ce titre, *Liber numeri.* * on a voulu corriger ce ſolecisme, en couvrant la lettre. *I.* d'vne certaine compoſition brune, mais non pas ſi bien, qu'en gratant vn peu avec la pointe d'un ganif on ne la decouure fort aiſément.

2do. On voit au deſſus du titre du Pſ. 82. ce mot Pſal. tout poché, & qui paroit ajouté aprés coup entre deux lignes, il eſt diſpoſé au deſſus de ces autres mots. *Canticum Pſalmi Aſſaph*, enſorte que le point deli de *Pſalmi*, eſt entre le Pet. l's. de *Pſal.* & que le point qui eſt au bout de ce même mot *Pſal.* ſe trouue juſtement entre *l' a* & *l' s. d'Aſaph.* Ce mot *Pſal.* paroit

* Cette même faute ſe trouue dans l' edit. de Cl. VIII. au titre du Livre p. 109. mais elle n'eſt pas dans la ſuiuante ou l'on a mis *numer.* par abreviation.

paroit de même ajouté aprés coup au deſſus de Pſ. 87.

3tio. On voit presque par tout des *j* Conſones pour des *i* voyelles, Comme au 2. Chap. de la gen. vers. 11. *tertij*, & au 3. vers 3. *dij* le contraire ſe rencontre auſſi aſſez ſouuent, c'eſt a dire des *i* voyelles pour des Conſones, comme au Chap. 3. de la gen. vers. 10. *Eiecit*, & au 27. vers 29. *eiulatu* & en fin *dauid* eſt êcrit par tout auec des *u* voyelles, de même que pluſieurs autres mots, qui demanderoient des Conſones.

4to. Les lettres du premier mot du 38. Chapitre de la gen. ſont toutes derangées, de ſorte que ce mot ſe trouue ſeparé en trois: ainsy, *Eodem*, & que ſe mot ſuiuant *tempore*, tient a la derniere lettre du premier.

5to. Je metrois encore au nombre des fautes d'impreſſion ce mot *obed*† qu'on voit dans le 15. Chap. du 2. Liure des paralipomenes, vers. 1. & 6. & dans le 28. Chap-

† Jeſuis redeuable de cette remarque a l'illuſtre Mr. Baillet.

Chap. du même Liure, v. 7. au lieu *d'obed*, s'l n'eſtoit vrayſemblable que c'eſt a deſſein que Sixte l'á fait imprimer ainsy.

VII. On remarque dans tout le Cours de ce Liure quelques Caracteres aſſez particuliers. * Comme par exemple des *a* des *e*, des *m* des *n* des *r* des *t* à longue queüe, mais les plus ſinguliers ſont des *et* de même a longue queue, dont les vns l'ont releuée en haut, & les autres l'ont pendante en Bas, presques tous les *ques* qui ſont a la fin des mots ſont exprimés par vn pointé *q*, non ſeulement dans le Caractere ordinaire mais encore dans le majuſcule c'eſt ce que l'on peut voir dans les premiers mots de la plus part des Chapitres de la geneſe, on peut encore ajouter a ceque je viens de dire, quelques *rencontres* de lettres aſſez Remarquables, & dont on trouue quantité dans cette edition, en voicy

* Ces mêmes caracteres ont ete employés dans l'edit. de la Bible de Clem. VIII.

voicy quelsques vnes entres les autres dans le 9. chapitre de la Geneſe, vers 22. & 23. ces mots *Sitq;* & *Noe* ſont imprimés de ſorte que la queüe du *q* eſt juſtement poſée au deſſus du ſecond Jambage de l'*N*, en cette maniere : *Sitq;* *Noe*, Dans le Chapitre 10. du même Livre, vers 19. & 20. les deux mots ſuivants ſont diſposés demême ; *arp-* *h* *axad* dans le chapitre 12. du même Livre *V. S.* vers. 13. la queüe du dernier p du mot de *principes*, eſt ſi bien liée avec tête de l' I. du mot. *illum*, *principes* qu'on diroit *illum*, que ces deux Lettres ſont faites d'un même trait. Je donnerois encore aiſement, pluſieurs exemples de cette nature ; mais ceux cy doivent ſuffire ; J'ajouteray ſeulement que l'on peut obſeruer, ſur tout dans les pages 522, 523, 524, 525. &c. que les *o.* ſont d'un plus petit modelle que les autres caracteres, dont on s'eſt ſerui pour imprimer cet Ouurage.

VIII. Enfin le dernier moyen de reconnoitre la veritable Bible de Sixte V. eſt de la confronter auec le *Bellum papale* de Thomas James, ce Proteſtant comme je l'ay deja dit, a fait ſous ce titre un re-

recueil de toutes les differences de la Bible de Clem. VIII. avec celle de Sixte Quint. pour ce qui regarde le texte, comme ſon Livre n'eſt pas fort rare, & que d'alleurs les remarques, que j'ay rapportées cy deuant, ſuffiſent pour tirer d'embaras ceux qui douteroint tant ſoit peu là deſſus, je ne raporteray icy aucune des differences qu'il a pris la peine de ramaſſer, & je fineray en diſant que ſon livre peut tenir lieu de cette Bible, a ceux qu'une Fortune mediocre empéche d'employer des ſommes conſiderables.

VI.

VI.

Ad Illuſtriſſimum Principem Ludovicum Sforciam, Vicecomitem Barri Ducem, Jaſonis de Mayno Juris utriusque Doctoris Præfatiuncula.

ORationem â me proximis diebus habitam in funere præſtantiſſimi Juriſconſulti, Hieronymi Torti ad quem, Illuſtriſſime Princeps, potius, quam ad te mitterem, non dubitavi: non tam ex eo quod principatum geras, quam quod æque ſis litteratorum atque litterarum præcipuus cultor. Facis equidem quod rectum Principem decet: cum Plato non minus vere quam eleganter dixerit: Beatas fore Respublicas; ſi aut ſapientes imperarent, aut earum Principes ſapientiæ ſtudio tenerentur. Donum libelli hujus, quem ad te mitto, niſi aut tu magno æſtimes: aut excellentis viri, de quo loquitur, merito, recompenſes: puſilla res eſt: Verum Artaxerxes Perſarum Rex præſtantiſſimus dicere ſolitus traditur: non minus regale eſſe, accipere tenuia munuscula, quam ingentia dona elargiri: Tu pro ſolita animi modeſtia quamvis longe majora

ſemper ſolitus ſis referre quam accipere, has noſtras lucubratiunculas pauculosque labores non aſpernaberis, ſed una cum offerentis affectione, ſingularique erga te devotione clementer ſuscipies. Vale Princeps humaniſſime: meque commendatum habe.

Oratio habita (a) in funere Excellentiſſimi Jurisconſulti Hieronymi Torti tenentis primam cathedram in felici Gymnaſio Ticinenſi per me Jaſonem de Mayno (b) Mediolanenſem Juris utriusque Doctorem.

Utinam

(*a*) Hanc orationem, e Codice MSto Bibliothecæ Krafftianæ deſumtam, elogiumque Hieronymi Torti JCti olim famigeratiſſimi non inconcinnum continentem, integram inſerimus, quod nondum, quantum mihi quidem conſtat, edita ſit.

(*b*) De hoc conferri meretur Bælius in Diction. Tom. III. f. 1879. Magnis is paſſim effertur præconiis, Jacobo Philippo Bergomati in Supplem. Chronic. f. 325. *conſummatiſſimus Jureconſultus ac Orator facundiſſimus, ſuo tempore ubique & propter eruditionem maximam, & dicendi optimum robur, ac corporis totius elegantiam magno habitus in pretio:* Trithemio de Scriptor. Eccleſ. num. DCCCXCVI. *Vir in utroque jure doctiſſimus, & tam in divinis ſcripturis quam in cæteris diſciplinis ſecularibus eruditiſſimus,*

Utinam alia me ad dicendum occasio impulisset, quam ut in gravi & acerbo funere Hieronymi Torti Jurisconsulti celebris & consummati laudativa â me hodie habenda esset oratio! Fuerat mihi jamdiu propositum, ejus vitam, ingenium ac litteraturam spacioſius & uberius propriis & peculiaribus laudibus exornare: non quod commendationem meam illi expedire, aut usui fore imprudens mihi persuaderem: Sed ut signum aliquod grati in eum animi aliquod proferrem. Nam cum ex ejus fontibus, (*c*) quicquid in me doctrinæ esset, exhausissem, & omnem ingenii mei cultum inde suscepis-

mus, philosophus clarus & orator celeberrimus, ingenio subtilis, eloquio disertus, consilio & actione præcipuus: Jano Jac. Boissardo in Icon. Virorum Illustrium Tom. I. p. 165. *Vir in rebus magnis gravis, acutus & perspicacissimi judicii, prudensque in consiliis* audit.

(*c*) Ipse ergo Maynus heic loci gratus profitetur, multum se Torto debere. Hoc propterea annoto, quod cum Panzirolo Jac. Thomasius ipsum in plagiariorum censum retulerit, atque Torti etiam scriptis locupletari eum voluisse memoraverit. vid. Jac. Thomasii Tract. de Plagio literario p. 209.

ſem ; ingratum me quodammodo vivere exiſtimabam , ſi non aliquo ſaltem laudationis argumento , ſuorum in me meritorum , & meæ in illum obſervantiæ perpetuam recognitionem profiterer ; quandoquidem majus aliquid , quod ei præſtarem , non haberem. Juvaſſet ſcriptis intexere omnem ejus præcedentem vitæ ſeriem , quibusve ſtudiorum gradibus ad tantum doctrinæ culmen eſſet evectus , ut ſic a cunctis quærendus ac deſiderandus in exemplar ævi præſentis tranſiret : me præcipue , qui illum & publice & privatim quantum admirabar, tantum diligebam & obſervabam , propoſuiſſe ſtudiorum ſuorum ſemitam tanquam ſpeculum : quum ad ſummum litterarum apicem ſpecularer, & ſi non tam alte ſcandere unquam poſſem , ut ſaltem iisdem gradibus inchoarem aſcenſum. Sed heu ! fati neceſſitate compulſus , quæ ego hilarius & exultantius dicere conceperam, nunc ſummiſſius atque moleſtius in funebrem, mœſtam , ſqualentem & omni ex parte circumciſam orationem convertere, & quaſi epicedion deplorare compellor : Non omittam tamen ſic urgentibus fatis ; quin ea quæ lætioribus & abſolutioribus verbis

verbis celebranda fuerant, his remiſſioribus & hac parentali oratione complectar. Vereri etiam debui, me non magnam hodie in dicendo expectationem habere, quod nullum vos patres novum audituros, ſed tantum vetera in hoc viro recognituros exiſtimetis: cujus vitæ actiones, & ſinguli ſtudiorum progreſſus nobis jam diu innoteſcunt: cum in veſtris academiis verſatus, in veſtris quoque manibus creverit: Sed eo plus fidei me conſecuturum ſpero, quod ego inprimis maxime deſidero: quanquam nec obeſſe debeat gratiæ orationis, quod de eo eloquar, quem unum intus & in cute cognoviſtis. Nam ſicuti in imaginibus & picturis gratiores illæ ſunt, quæ agnitos & viventes referunt & effingunt: in quibus rugas & ſingula oris lineamenta rimari & dignoſcere poſſumus, ac ſi præſentes intueremur: ita verbis meis dum hominis hujus notam imaginem depingo, non tam recenſere quam nobiscum præſentem ut viventem recommemorare videbor. Attingam Hieronymi Torti præſagia futuræ probitatis atque præſtantiæ, & litterarum rudimenta a teneris ferme unguiculis repetita. Dehinc ſtudiorum prætextum & ſingulos diſciplina-

narum gradus cum mirifico incremento & felici exitu ſubjungam. Poſtremo quantum legendo docendoque profecerit, & quantum inter noſtræ & ſuperioris ætatis togatos excelluerit ſubnectam. Inde liquebit, quantum ſplendoris & ornamenti huic regiæ civitati Ticinenſique gymnaſio adjecerit: Utar tamen ſermonis compendio & pro rerum dignitate, quantum potero, frugali brevitate, cum non hiſtorico cothurno: ſed pedeſtri eloquio progredi in præſens expediar. Nec exequar Tortæ familiæ ortum aut ſeriem, nec cognatorum propinquorumve neceſſitudines aut varias affinium clientelas, cum nihil exterum ſed quod totum Hieronymi virtute conſtet, per veſtrum omnium expectationem differendi hodie propoſuerim. Natus eſt Hieronymus Tortus ex oppido Caſtrinoui Tranſpadario municipio Terdonenſi ſplendido, honeſtis ſed modicis proventibus, familia vetere & honorata; humili tamen tenuique fortuna. Ejus infantiæ non ignobile augurium accidiſſe parentes ſui pueris nobis narrare ſolebant. Ego vix unquam adduci potuiſſem, ut crederem; niſi me multa clariſſimorum virorum exempla moviſſent; Dum infans faſciis

fasciis involutus in cunis jaceret, capite denudato: & nutriculam forte abeſſe contingeret, ſupervolavit ales virentem ramulum geſtans, quem ori infantuli leniter admovit, & caput alis circumtegens blande puerum confovebat; Tantæ rei novitate ac miraculo nutrix attonita infantulum gravi cum ſollicitudine obſervabat: verita ne alitis unguibus læderetur. Sed dum illæſum ales aliquandiu foviſſet, evolavit, ſublato ramo, quem in altum extulit, quantum oculis mortalium ſpectare fas fuerat. Eo augurio parentum animi in ſpem eriguntur, quod hunc aliquando litteratura florente ad cœlum usque transgreſſurum ales illa ominaretur. Nec parentes quamvis rudes auſpicium fefellit; Fit enim ſæpenumero, ut inter prima infantiæ cunabula nonnulla futuræ probitatis ſigna deprehendantur. Midæ puero dormienti formicæ in os grana tritici congeſſerunt; parentibus quorſum prodigium tenderet, explorantibus augures reſponderunt, omnium illum mortalium futurum ditiſſimum, nec vana prædicatio extitit; Nam Midas cunctorum pene regum opes abundantia pecuniæ anteceſſit: Platoni infantulo in cunis dormienti circumvolantes apes par-

vulis labellis dulce mel intulerunt: & quasi dulcissima eloquentiæ libamenta instillassent, prodigiorum interpretes singularem eloquii suavitatem ore ejus emanaturam prædixerunt. Qua die natus est Alexander Macedo, duæ aquilæ tota die præpetes super culmen parvæ domus resederunt, omen duplicis Imperii Europæ & Asiæ præferentes. Nec minus felicia in divo Ambrosio prodigia apparuerunt; nam cum infans dormiret, subito examen apum advolans faciem ejus atque os complevit, ita ut ingrediendi egrediendique frequentaret vices: & post aliquamdiu volitantes, in tantam aëris altitudinem sublevatæ sunt, ut humanis oculis minime cernerentur. Quo facto territus pater, si vixerit, inquit, infantulus, aliquid magni erit. Non desunt etiam ex grammaticis, qui contendant, Maronem poëtam Mantuanum Virgilium a virga cognominatum, eo quod Maja puerpera per quietem somniasset, se lauream virgam parituram, quæ ad cœlum usque pertingeret. Sic Virgilium enixa est, qui de altis cantando cœlum attingere creditus est. Hæc prima infantiæ auspicia, quæ summum litterarum culmen ac fastigium Hieronymo pollicebantur, tantam parentibus

tibus ſpem attulerunt, ut, quamvis anguſtia rei familiaris urgerentur, omni tamen opera elaborandum proponerent, quo Hieronymus præceptoribus erudiendus traderetur. Vix prima infantiæ curricula egreſſus in rudibus litterarum cunabulis ardens diſcendi deſiderium aperte declaravit. Non enim paterna monitione non maternis illecebris, non præceptoris aculeis impulſus, ſed propria animi vi & quodam quidem naturæ præſagio ſuccenſus, ad litteras quotidie ardentior reddebatur. Argumenta profecto haud dubiæ ſpei futuræque præſtantiæ in tam tenello ingenio ſic ſponte ad ſcientias anhelante. Quemadmodum enim equi generoſiores habentur & ad curſum meliores, qui ſine calcarium ſtimulis aut flagellorum plagis dato ſigno protinus exiliunt: ita adoleſcentuli, qui ſine ſtimulis, vel ullius admonitione ultro ſe alacres ad litteras conferunt, ad virtutis opera præclare nati cenſentur. Affectus mira diſcendi voluptate, ſic quotidie proficiebat, ut non tam diſcere, quam reminiſci videretur: nec quæ ſolum a ludimagiſtro tradebantur facile aſſequebatur: Sed ex his proprio conatu plura concipiebat. Sic fœcundiores ſulci

ſulci non modo, quantum ſeminis exceperint, reddunt, ſed cum multiplici fœnore abundantiſſimam frugem producunt. Præcox ejus ingenium laudis & gloriæ æmulatione inſtar lætæ ſegetis uberes quotidie fructus cum mirifico incremento proferebat. Super annos, ſuperque ætatem proficiebat, cum non parva incolarum, quam cum noſtratium admiratione: fulgebat jam in puero indoles virtutum, & jam fœcundi doctrinarum fructus emergebant. Agebat annum ætatis vixdum undecimum, cum jam neceſſaria omnia grammatices fundamenta jeciſſet; Erat parentum & cognatorum conſilium, eum Juris ſtudio dicare, ſpe immenſi quæſtus, ſed terrebantur nimia impenſa & graviore quam exiguæ illorum facultates ferrent. Itaque philoſophiæ primum initiatus eſt, in qua minore ſumtu & breviore tempore illum facile profecturum, ſperarent: Ingenii præterea acumine hisdem artibus accommodatior videbatur; cum jam nonnullas dialecticorum argutias & pleraque logicalia ſophismata calleret. Anno evoluto parentes pœnitentia ducti, eum ad auriferas leges retulere. Dolebant tantam ingenii ubertatem eo conſumi, unde tenues

quæſtus

quæstus emergebant. Videbant Juris Professoribus omnia (*d*) ad nutum suppetere & aureas leges aurea tecta, fundos, preciosam suppellectilem & immensas facultates conferre; quibus etiam parentum & cognatorum necessitatibus succurri possit: Juri itaque Cæsareo ascriptus legales libros insatiabili discendi cupiditate revolvens, in ipsis studiorum exordiis non contentus literali sensu, quem adolescentuli juniores observant, interiorem & abditum nucleum eruebat: Legum causas acutius inquirebat & fundamentalem juris rationem in ipsis usque radicibus accurate perscrutabatur: vix prima legum libamenta attigisse creditus lectores quotidianis interpellationibus lacessebat: ea mentis acie ferebatur ut quotidie aliquid supra annos attingens: virtute propria ætatem præveniret. Efferebatur inter æquales, clariusque explendescebat, quam generosi condiscipuli æquo animo ferre possent. Semper aliquid acutius rimabatur, cui aliorum ingenia non accedebant

(*d*) Mayno certe maxime lucrosam fuisse juris scientiam, Bælius nos edocet in Diction. T. III. f. 1880. art. MAINVS.

debant. Mirabantur Doctores in puero ingenii acrimoniam, arguendi ſubtilitatem, reſpondendi, reſiſtendi vehementiam. Stupendo ingenii acumine abſtruſa & abditiſſima quæque penetrans, novas quotidiè & inexcogitatas difficultates afferebat, quibus ipſi etiam præceptores ſæpius animo cogitabundi hærebant. Expurgata tirocinii rubigine, deinceps ſummos legis apices pertractans, in tantam nominis claritatem emerſit, ut non modo in hac Ticinenſi academia numinis loco inter ſcholaſticos coleretur, ſed abſentibus notus, & litterarum præſtantia ab exteris dilectus, multorum teſtimonio ac prædicatione extollebatur.

Anno fere ſtudiorum ſuorum tertio publicum diſputandi ac repetendi munus obiens, ſic memoriæ tenacitate adjutus eſt, ſic ingenii ubertate feliciter uſus, ut circumſedentibus omnimodæ doctrinæ rogatis quam plurimis non minorem virtutis æmulationem quam præſtantiæ admirationem reliquerit. Ex hac regia civitate anno ſtudiorum ſuorum quinto Ferrariam ſe contulit: ibi convenerant præſtantiores totius Italiæ, vel potius totius orbis Doctores, cura & impenſa Nicolai

Eſten-

Eſtenſis divi Principis æque ſtudioſorum ac ſtudiorum amantiſſimi, qui variis pollicitationibus magnisque ſtipendiis viros in litteris excellentes undique conquiſierat. Nactus Hieronymus pulcherrimam virtutis oſtentandæ occaſionem, non ſecus animo geſtiebat, ac frendens leo, ubi ſpumantem aprum ſibi oblatum videt. Inter confertiſſimas diſputantium acies ſe medium exhibens, tam acer ad oppugnandum, ad reſiſtendum tam promptus, & callidus, ſic facile objecta diluebat, ut, quæ in eum mittebantur, redderentur quaſi tela Priami in ſcutum Pyrrhi. Ubi vero in arguentis morem aſſurgebat: graviſſimas nodoſasque difficultates adducebat, quibus quaſi machinis admotis quodcunque munitiſſimum vallum facile expugnaretur.

Si quando labebatur, nobili ira excandeſcens, fortius reſurgebat: quod ſi vehementius urgebatur, viribus undique collectis quasdam quaſi verborum faces admovere, coruſcationes effundere, ciere tonitrua & horrendum in lingua fulmen gerere videbatur. Magna de eo inter ſcholaſticos æſtimatio, & par cum his, qui legendi muneri præerant, commendatio

datio circumferebatur. Ad quamcunque Juris nodoſitatem animum ſtudiumque inclinaſſet, quæ percipi humano ingenio poſſit: eam tanta cum integritate aſſequebatur, ut non a præceptoribus eruditus, ſed aut cœlo emiſſus, aut natus ad eam rem procul dubio videretur. Ex Ferraria triennio transacto Bononiam profectus eſt, antiquam ſtudiorum parentem: exemplo Socratis, qui varias regiones pro acquirenda ſapientia perluſtravit: vel Anaxagoræ, qui ſtudiorum cauſa longam peregrinationem aſſumpſit: aut Platonis, qui diſcendi cupiditate diverſa climata laborioſiſſime peragravit: vel Apollonii aut Democriti ceterorumque qui literarum ardore varia itinerum diſcrimina ſuperarunt. Sunt Bononienſes, qui homines non ex re aut ex fortuna, ſed ut par eſt, ex ſola virtute metiantur. Ubi Hieronymum adeo ingenio & doctrina præſtare compertum eſt, ex Bononienſibus præſertim Malucciis nobiliores eum domi ſalutare, revereri, honoribus afficere, & demum ad publicum legendi munus magnis ſtipendiis ſollicitare non deſierunt. Sed audite Ticinenſes Viri, ut vobiſcum cæteri audiant: Cum ad ſtudiorum metam tam glorioſe ventum eſſet,

eſſet, parens filium in patriam reducturus advenerat: non defuerunt ex Bononiæ primatibus, qui ob litterarum cultum & litterati Viri obſervantiam Hieronymum cum patre aſcendentem ex urbe illa comitarentur, & plerique ſodalium ad tria millia paſſuum: conſiderate vobiſcum taciti, quantæ fuerit pietatis & venerationis exemplum, & quantus virtutis & doctrinæ ſplendor? Videte Hieronymum cum antiquo patre, ſine ullo famulatu, attrita tunica, inſidentem equo gracilento ac ſtrigoſo, ſarcinulis quibusdam ſuper dorſum equi colligatis, tanto concomitantium nobilium equitatu circumſeptum! Increbuit apud Ticinenſes Hieron. redeuntis prænuncius rumor: & veluti ex Delphico numen expectabatur. Magna eum fama præceſſerat; ſed major eſt inventus. Aſſumptis ex more doctoreis infulis, qui vix pilum egenis raſitaverat in collegam aſcribitur Cathonis Sacchi, Doctoris per omnem orbem celebrati, & inter ætatem ſuam florentis præcellentisque doctrinæ. Referamne vel potius mecum admirabor publicas conciones, circulares palæſtras, ac quotidianum diſſertandi munus? Jucundum eſt commemorare, ſed pulchrius di-

gniusque vidiſſe duo ætatis noſtræ excelſa ingenia mutuo litteris doctrinaque certare, utrumque nominis & famæ æmulatione. Diſputabat Hieronymus ſubtiliter, acute, callide, circumſpecte, ut erat illi ſummum ingenii acumen, a natura diſputationibus apprime accommodatum. Ex ſolo labiorum motu, unde adverſarius erumpere, aut quo vellet emergere proſpiciebat, ſicque illi facile occurrebat: Ipſe contra in arguendo lubricus & incomprehenſibilis: ut erat hominis ingenium varium: flexibile: multiplex: Quo magis urgebatur, eo firmior: acrior: vehementior reddebatur. Cum in arctum redactus & quando deprehenſus credebatur: per mille diverticula meandrosque effluebat. Poſteaquam ad publicum legendi munus eſt aſſumptus, quo ſemper animi ejus vota anhelarunt: cœpit ſacrarum legum dogmata, quæ undequaque velut apis operoſa collegerat, in publicis ſubſelliis aperire tanta cum attentione, & auditorum frequentia, qua ætate ſua aut omnes excelluit, aut paucos ſibi habuit adæquandos. Docebat magna cum vehementia animi & corporis, accedente omnium ſenſuum omniumque membrorum dona-

tu.

tu. Imprimebat in audientium animis, quæ differebat : & quasi in intima cordis penetralia immittebat. Pronunciatio ejus in initio remissior, sed in clausularum extremo elevatior, altius, acutiusque desinebat, longas periodos uno spiritu tanquam torrente contorquebat: nonnunquam altius provocante materia, sic incalescebat, ut intonare, fulgurare, & quasdam quasi igneas verborum coruscationes faucibus emittere videretur. Ejus doctrina limpida imprimis & distincta: non anxia: nec morosa: sed facilis & expedita: & quæ auditores cum attentione & voluptate alliceret & teneret: Ea dicendorum series: tantus expositionis ordo, ut quæ diceret collocari omnia & animo recondi possent. Argutæ ejus divisiones, accommodatæque distinctiones omnem sermonis ambitum eo traducebant, ut multa rerum copia facile colligeretur. Accedebat incredibilis memoriæ felicitas, ut cum multa variaque sine cunctatione proferret, nec verbo unquam laberetur : Eadem, quum usus postularet, sic ex ordine repetebat, ut nec syllabam omitteret, nec immutaret. Fuit illi par ut intelligendi sic & docendi facilitas. Exemplorum varietate semper mi-

rifice delectatus, res etiam arduas atque difficiles in planum deducebat. Cum autem in nodosam aliquam difficultatem incidisset: tanquam in arcem propriam delatus, legendi voluptate quasi triumpho efferebatur. Scriptores mutuo concertantes eo ordine adducebat, ut sæpius non tam lectioni quam bello interesse putares: Veteres autores cum eorum præsidiis in primo aditu collocabat: sic ex ordine ad novissimos usque descendens argumentorum copias tanquam bellatorum phalanges in planitiem educebat. Ipse in medio positus velut belli arbiter non ad alicujus gratiam vel æmulationem sententiam quis arma justius induisset proferebat. Omittam dinumerare varios Juris cæsarei commentarios, quos in ordinarias partes & in vespertinas lectiones exquisite & castigate elucubravit: argutas dissertationes: graves & acutas disputationes, quas dedit. Omnibus patent: per omnium manus, oraque quotidie versantur. Præteribo innumeras novarum argumentationum subtilitates: tot difficultatum quasi ænigmatum resolutiones: veros & admirabiles sensus legibus accommodatos: quarum quia interior mens erat incerta, in magnos

prius

prius errores prolabebantur. Hoc uno eſt Hieronymus non minus diligendus quam laudandus: quod veritatis ſedulus obſervator; nonnullorum conatus repreſſit, qui veritati occurrere annitebantur. Inſurrexerant poſt Chriſtophorum Caſtilionenm Raphaelles duo, alter Placentinus, & alter Comenſis: Ludovicus Pontanus ac plerique noviores: qui contradicendi ſtudio, non veritatis inveſtigandæ, argumenta quædam commentitia & quasdam argumentorum fallacias aſtruxerant, in veras majorum noſtrorum ſententias. Illorum aſtus figmentaque ſic Hieronymus confutavit: ſic ad humum proſtravit: ut veritatem, quæ iſtorum quaſi clandeſtinis incurſionibus & quaſi quibusdam cuniculis impetebatur, ſolidaverit ſtabiliveritque. Confluebant ad Hieronymum audiendum frequentes ſcholaſtici ex omni fere terrarum orbe ob ſui nominis claritatem huc advecti. Laudat antiquitas Gaditanum quendam Livii nomine gloriaque commotum ad eum viſendum ab ultimo terrarum orbe Romam adveniſſe. Innumeri ſunt qui ex omni orbe, non modo ex finitimis, ſed ex ultimis terrarum partibus ad Hieron. viſendum audiendumque con-

fluxerant. Magna de eo fama ubicunque gentium circumferebatur, quam præsentia sua non imminutam sed adauctam confirmabat. Legati Regum, Principum, ac diversarum nationum, maximis sæpe stipendiis, eum hinc abducere conati sunt: sed soli natali dulcedine captus in hac patria fructificare constituit, in qua Juris elementa percepisset. Ex ejus schola tanquam ex equo Trojano tot præstantes in utraque censura togati viri emersere: non modo qui in hac Ticinensi Academia florent, sed qui inter civitates in foro celebres sunt: & qui Magistratus obeunt: quique in rerumpublicarum administratione versantur: Neminem invenies ex his, qui Jura sapere existimantur, qui non diu sit Hieronymi auditorio usus; demum si nostra aut superiora tempora metiaris, eosque consideres, qui in Juris disciplina excelluerunt; vix quenquam reperies, quem Hieronymo non modo præferas sed nec conferas. Fuit Hieronymus statura corporis procera & excelsa sed gracili & macilenta, collo oblongo, in pectus inclinatiore, cervice mediocri, temporibus gravis, oculis vegetibus, acie tamen in ævi extremo hebetiore: sed ocularium præsidio succurrebatur.

tur. Reliqua corporis forma ſatis præſtanti, præter crurium gracilitatem, quæ ex adverſa valetudine remacruerant. Ejus macilentiam longa abſtinentia, aſſiduis lucubrationibus ac jugi ſtudiorum labore proceſſiſſe, nemo, qui hominem novit, ambiget: Fuit Hieronymus pauciſſimi ſomni: cibi admodum temperati, potusque diluti ſſimi: quod perſpectum haberet; ſobrios ac pervigiles ad omnem virtutem quaſi nulla ſarcina impeditos plus valere. E contra eos, qui nimium cibo & quieti indulgent, ingenio hebetes reddi; nihilque eſſe virtuti hoſtilius ingluvie & ſomno. Nec modo in victu parcus, ſed & modicus in cultu veſtituque corporis, & omni ambitione remotior, præter annulos aureos perlucidis adamantibus diſtinctos, quibus prolixos digitos adornabat: corpus latis faſciis ſtrictiſſime circumligabat. Ut ea ventris compreſſione eſuritionem depelleret: ſicque & inediam diutius ferre & diutius in ſtudiis verſari poſſet. Erat natura piloſus & in iram facile excandeſcens: ſed ſubito refervescebat. Floruit ſtupendo ingenii acumine, ad quarumcunque rerum inveſtigationes facili & accurato. Adjutus memoriæ felicitate non modo ad appre-

hendendum celeri & obvia, verum & ad cuſtodiendum tenaci, quam licet a natura ſolidam accepiſſet, arte tamen & diligentia firmiorem reddidit. Quo magis præſtaret an ingenio, an memoria, non erat facile judicare. Vixit annis ſeptem & quinquaginta, quorum duos & triginta in legendi munere inſigniter explevit. Vexabatur arenali morbo, medicique perſuadebant, ut ſe a legendi officio ſubduceret, ne inde ſibi mortem conſciret: Reſpondebat conſtanter vir impavidus, ſe ſcholaſticorum gratia legendo vitam quam libenter finiturum, exiſtimans pulcherrimum & glorioſiſſimum lethi genus publica cauſa occumbere: Quod ſi ſuperiores Romani viri regii ac triumphales, his qui pro republica obierant, perpetuos honores deberi profitebantur: & Solonis Legibus præclare ſancitum perhibetur, eos qui in præliis occubuiſſent, ſummis præmiis eſſe illuſtrandos: multum ac pene immenſum eſt, quod hæc Ticinenſis univerſitas Hieronymo debet, qui pro hujus academiæ ornamento, pro ſcholaſticorum uſu legendo ſibi mortem aſciverit: patiebatur æſtus tempore incredibiles cruciatus, & indigniſſima tormenta, calculis veſicam infeſtantibus, & urinæ

emiſ-

emiſſionem prohibentibus: Inter legendum ſæpe graves ejulatus emittebat. Vi morbi invaleſcente longa conflictatione exinanitus tandem ventris profluvio extinctus eſt. Sed cum ſe morti proximum agnoſceret, & uxorem, filios, ac reliquos circumſtantes plenis lachrimarum oculis complorantes cerneret: ut eorum mœrorem coherceret, anxiis ac trementibus ceteris, ipſe impavidus & conſtans alios ad patientiam adhortatur: ferendum eſſe forti animo quicquid fati neceſſitas jubet; Uxorem & dulciſſimos filios amplexus, matrem liberis, & liberos matri commendat: obteſtaturque uxorem, quam unice dilexerat, ne ſe lachrimis conficiat: ſed caſum patienter ferat, ſeque recreet & conſoletur dulci recordatione vitæ quam honeſte & virtuoſe ſimul egiſſent. Hæc effatus, munitus crucis ſignaculo, e vita leniter exceſſit, quieſcenti quam defuncto ſimilior. Doleo virum maximum & in Cæſarea legalique cenſura præſtantem eripi ex oculis noſtris: neſcio an ſimilem viſurus. Multi alto & excellenti ingenio conſurgunt, ſed hoc conſummatæ virtutis jam frui licebat. Erat Hieronymus non modo longiore vita, ſed pene immortalitate dignus. Non ab

re Theophraſtus accuſaſſe naturam legitur, quod cervis & cornicibus vitam diuturnam, quorum nihil intereſſet, hominibus vero, quorum maxime interfuiſſet, tam exiguam dediſſet: quorum ſi ætas poſſet eſſe longior, omnibus perfectis artibus erudirentur. Recto ordine Dii immortales contuliſſe viderentur, ſi ſaltem viros virtute præſtantes uſu longioris vitæ condonaſſent. O nimium celeres bonorum hominum dies & virorum optimorum citata curricula! quibus nullis artibus, nullis virtutibus, nulla denique potentia occurri poteſt! Acerba equidem, ut Plinius junior ſcribit, & immatura mors eorum eſt, qui immortale aliquid parant: Nam qui voluptatibus dedicati in diem vivunt, vivendi cauſas quotidie finiunt: qui vero poſteros cogitant, & memoriam ſui operibus extendunt: his nulla mors non repentina eſt, ut quæ ſemper inchoatum aliquid abrumpat. Sublatus eſt morte Hieron. Tortus non unus ex pluribus, ſed inter innumeros rarior phœnice, cujus ſimilem ne dicam in legali philoſophia ſuperiorem, nec præſentia nec forte futura ſecula inſpectura ſunt. Quemadmodum poſteriore Scipione domi interfecto, Q. Metel-

Metellus palam exclamavit; Romanæ urbis mœnia concidiſſe; ita ſublato hoc præcipuo litterarum cultore litteratorum domicilium corruiſſe collachrimandum eſt. Policrates ſolem e cœlo cecidiſſe commemorat, quando Plato rebus exceſſit humanis. Sic lucernam Juris extinctam deflebunt: qui ad thronum ſapientiæ, quem Hieronymus diu poſſederat, ſua ſtudia deferent: verum ſi rationi & non paſſioni obtemperare voluerimus, hanc non omnino mortem vocabimus, qua tanti viri mortalitas magis finita eſt quam vita. Vivit, vivetque ſemper & latius, in memoria hominum & ſermone verſabitur: Occidit quaſi ſemper victurus. Nominis celebritate & ſcriptorum ſuorum perpetuitate immortalitatis gratiam conſequetur. Mors illis terribilis eſt, ut inquit Cicero, quorum cum vita omnia extinguuntur; non his, quorum laus emori non poteſt. Ea lege omnes nati ſumus, ut naturæ tandem ſit concedendum. Irrevocabilem mortis neceſſitatem æquo animo feramus oportet. Nam ut privatis utilitatibus publicas, ita mortalibus æternas anteire neceſſarium eſt. Ex hoc corporis domicilio tanquam e carcere unicuique migrandum

dum eſt ; in hujus mundi fugacis ac lubrici poſſeſſionem tanquam inquilinos natura nos mittens commorandi duntaxat diverſorium dedit : Homo vitæ commodatus eſt, non donatus : Vita hominis cum mortis excitatione conceſſa eſt : quam timere fragilitatis eſt, non rationis. Stultum eſt timere, quod evitari non poteſt : Sicuti impoſſibile eſt mori quempiam, qui non vixerit : ita vivere quenquam, qui non ſit moriturus. Interrogatus Secundus philoſophus, quid eſſet homo? graviter reſpondit : Homo eſt mancipium mortis ; tranſiens viator : parvi temporis habitaculum. Sapientis eſt, non vereri, quod indubie futurum ſit : & quod, velimus nolimusve, longius abeſſe non poſſit. Nec aliam meliorem eſſe philoſophiam, Pythagoras Samius & Plato teſtantur, quam crebram mortis meditationem, nitentem quotidie animam de carcere corporis educere in libertatem. Tota philoſophorum vita, ut inquit Cato, commentatio mortis eſt ; is ergo vitam æqua lance penſabit : qui non immemor fragilitatis humanæ, vana caducaque eſſe mundana omnia cognoſcet : quæ tam brevi fine clauduntur. Nihil eſt tam anguſtis terminis cir-

circumſeptum quam hominis vita. Merito regiæ Xerxis lachrimæ efferuntur, qui cum tam immenſum ejus exercitum quinquies decies hominum millibus comparatum ex loco excelſo oculis luſtraſſet, illachrimavit, quod tot centenis millibus tam brevis immineret occaſus. Brevis a natura data nobis eſt vita: ſed memoria bene actæ vitæ ſempiternam reddimus. Enitamur, dum vita ſuppetit, ut ſtudiis, vel alia virtutis actione, noſtri memoriam proferamus: Id agamus, quod nos poſt cineres vixiſſe teſtetur: Obſervemus Hieronymi veſtigia, & nobis pulcherrimum bene inſtitutæ vitæ proponamus exemplum: nobilis litterarum commercii & precioſæ doctrinarum ſuppellectilis non modo fructum gloriamve, dum in humanis ageret, reportavit: ſed ſibi poſterisque illuxit, æternitatis gratiam conſecutus. Dum hæc regia civitas ſteterit: dum Academia Ticinenſis florebit, dum litteræ ſtudiaque colentur, immortalis ſemper per omnium ora cum multa celebratione volitabit. Ad laudem ſummi æterni DEI! Amen!

Habita Papiæ. In Eccleſia fratrum minorum per me Jaſonem de Mayno Mediolanenſem Juris utriusque Doctorem tertio Idus Auguſti Anno a natali Chriſtiano Milleſimo quadringenteſimo Octuageſimo quarto.

VII.

VII.

Regiæ Majeſt. Angliæ &c. Mandatorum Epitome, (a) ex præſcripto, ad ſubditos ſuos, tam ſacris addictos, quam Laicos.

Ex Anglico ſermone in Latinum converſa.

REx Conſilio Avunculi ſui, D. Ducis Somerſethi, protectoris Regnorum, & aſſenſu Senatus, præcipit ſubditis obſervandos ſubſequentes Canones ſeu Articulos, partim autoritate clariſſimæ memoriæ, Regis Henrici Octavi conditos, partim nunc per Regiam Majeſt. aſſertos, ut averruncetur tandem hypocriſis, & ſacrorum abuſus, & ſuppullulet vera Religio, per omnes ſuæ Majeſt. ditiones.

1. Diaconi, Archidiaconi, Paſtores, Vicarii, & cæteri Eccleſiaſtici ordinis viri, integra fide obſervabunt, & quoad ejus fieri poterit, obſervari curabunt, tam decreta abolendæ Papiſticæ tyrannidi, quam confir-

(a) Ut inſtituti mei rationem ſervem, adjicio duo rariora opuſcula, olim jam typis exſcripta, quæ itidem Bibliotheca Perilluſtris Domini de Krafft mihi ſuppeditavit.

confirmandæ Regiæ jurisdictioni, eique meræ, in Anglicanam Hibernienſemque Eccleſias. Deinde ſacris operati omnes animarum Paſtores ſincere & candide quater ſaltem in anno exponent pro concione, poteſtatem Papæ affectatam, nullo legis divinæ fundamento innixam, abrogatam fuiſſe & extinctam juſtiſſimis de cauſis, ac proinde nihil obligatos illi, ſoli Regi præ cæteris Orbis Principibus, ut ſupremo Capiti mox a Deo, adhærere ac morem gerere debere. Præterea ut extirpetur radicitus ex animis hominum ſuperſtitio, delebunt obliterabuntque Idolorum cultum, miraculorumque fidem elevabunt, a ſolo Deo, autore omnium, jugi precum interceſſione valetudinem & beneficia ſolicitanda, adfirmando.

2. Iidem viri facient aut fieri curabunt, quater ſaltem in anno, concionem pure Chriſtianam in ſuis quisque Parochiis, exhortantes ad fidem, gratiam, & charitatem, ſuos auditores: quodque opera ſubdolis ingeniis excogitata, de peregrinatione, pecuniæ oblatione, cereorum accenſu, deosculatione imaginum, & ſphærulis precatoriis percenſendis, interdicta ſint paſſim divinis ſcriptis, nedum proficiant nihil.

3. Ima-

3. Imagines miraculorum nomine petitas, illi ipsi (non privati homines) abolebunt, neque permittent eas facibus, candelis, lychnis, aut cereis imagunculis adorari: accensis in suprema ara duabus tantum candelis ante Sacramentum, quæ relinquentur in indicium, quod Christus sit vera lux mundi: addita admonitione, quod imagines fuerint umbræ solummodo ac monumenta vitæ ab illis sancte actæ, non tamen mereantur cultum: ubi in piaculare Idololatriæ crimen impingitur.

4. Iidem diebus festis, quibus non habetur ad plebem concio, mox ab Evangelio recitato, clare & articulate præibunt Anglicana lingua Dominicam Orationem, Symbolum Apostolicum, & Decem legis præcepta, quo memoriter ea vulgus ediscat: exhortando parentes & patres familias, eadem ut pueris famulisque identidem instillent.

5. Parentibus, Pædagogis, præceptoribusque hanc quoque curam impriment, ut a primis incunabulis, liberos suos famulosque literis mancipent, aut liberali cuipiam artificio, vel matrimonio dedicent, dissuasores inertiæ & otii, malorum omnium fontis, & vitiornm seminarii.

6. Uti

6. Uti ſatagant quam maxima cum reverentia, ut adminiſtrentur Sacramenta. Deinde ut juſta quapiam de cauſa abſentes a ſuis Eccleſiis, ſufficiant viros bonos, vitæ ſanctimonia & eruditione conſpicuos, niſi in naſſam ſeſe ipſi involvere velint inextricabilem: & ne tam ſuis ſtudeant commodis, quam animarum profectui.

7. Ut intra trimeſtre ſpacium ab hac viſitatione, compatent Biblia Anglica in ampliſſimo volumine: atque ante exactum annum, Paraphraſes Eraſmi in Evangelia Anglice redditas, collocentque utrumque opus in ſuis Templis loco accommodo. Precium librorum ex æquo perſolvent Parochus & ſubditorum grex. Exhortabuntur ſuos ad lectionem Bibliorum, & Scripturæ ſacræ, ut vivi verbi Dei, & ſingularis animarum alimoniæ: unde melius cognoſcent obſervantiam Deo, Regi, & proximis debitam. Deinde interdicent etiam Regis nomine, contentionis ſtudium inter legendum: quin potius ut legentis verba pronis auribus accipiant, autores erunt.

8. Nunquam, niſi honeſta exigat neceſſitas, œnopolia frequentabunt, aut cerviſia-

rias tabernas. Itidem a ſumpto cibo non dabunt ſe comeſſationi aut ocio, aut ludis aleatoriis: Sed per ocium legent aliquid audientve e ſacris libris: aut honeſto in negotio occupati erunt: apud animum quisque ſuum cogitantes, quam debeant aliis præſtare vitæ puritate, & exemplum vitæ innocenter Chriſtianeque actæ vulgo præbere.

9. Quadrageſimæ tempore examinabunt confitentes omnes, an calleant Fidei articulos, precationem Dominicam, cum Decem legis præceptis, & poſcent etiam a ſingulis eorum omnium recitationem, declarando, Chriſtiano homini ea eſſe tenenda prius, quam ad Sacroſanctam Synaxin accedant, alioqui ineptos eſſe adeundæ menſæ Dei, absque abſoluta eorum cognitione pariter & integra voluntate obſervandi: quod ſi faciant, periclitari eos de animæ ſalute, & infamia publica in poſterum.

10. Ne permittant quosvis promiſcue in ſuis Eccleſiis concionari, ni ſint idonei ſubeundæ illi provinciæ, admiſſique vel a Rege, vel Prorege, vel Cantuarienſi Eboracenſive Archiepiſcopis, vel illius Dioeceſios Epiſcopo.

11. Si

11. Si commendârint antehac unquam apud suos peregrinationes, reliquiarum aut simulachrorum cultum, candelarum accensiones, deosculationes, ingeniculationes, & integendi simulachra studium, ejusque generis superstitiones, horum omnium palinodiam publice canent, damnabuntque suum errorem, profitentes se ductos fuisse publico omnium errore & abusu, qui occultis cuniculis in Ecclesiam irrepserat, astu & avaritia eorum, qui luculenta inde emolumenta senserant.

12. Quod si cognorint uspiam, qui obicem struat profectui Verbi divini, aut impediat sinceram Evangelii annunciationem, aut horum mandatorum executionem: aut faveat Romani Pontificis fictitiæ potestati, legibus Regni justissimas ob causas damnatæ & abolitæ, istius nomen referent ad Regem, Consiliarios, aut proximum Prætorem, Ditionisve Judicem.

13. Quilibet Pastor cum suo grege toto quaquam patet Regno, servabunt syllabum sive catalogum omnium toto anno matrimonia contrahentium, infantium baptisatorum, & funerum, annotando diem

ei rei proprium, & nomen cujusque. Cui volumini tuendo comparabitur publico ære arca bene munita duplici sera, & binis clavibus: quarum una erit penes pastorem, sive Vicarium: altera penes Ædituos, seu templi Præfectos.

Hoc volumen singulis diebus Dominicis explicabitur coram utroque Ædituo, vel altero saltem; & adnotabit præteritæ hebdomadæ matrimoniorum, baptismorum, funerumque nomina: quo facto, repositorio iterum includetur. Quotiescunque vero alterutrius partis incuria omissum istud fuerit, quadraginta denarii mulctæ nomine pendendi erunt, in usum pauperum illius Parochiæ.

14. Quum Ecclesiæ bonorum nomine censeantur pauperum bona, nihilque minus observari videamus hac tempestate, quam ut inde foveantur, alanturque egeni, sacrificiorum omne genus, quod censum quidem habet Ecclesiasticum, & e sacerdotiis vivit, non tamen in loco beneficii degit, cujus proventus annuus æquat vel superat libras vicenas, de cætero in egenos illius Parochiæ dispartietur quadragesimam redituum suorum partem

tem coram Ædituis, aut integræ famæ quopiam ex ea ipſa Parochia: niſi notari velint meritæ ingratitudinis, qui quadrageſimam portionem egenis e tam lucroſo ſibi & proficuo ſacerdotio decidere nequeant.

15. Atque ut lætior ſit uberiorque doctorum hominum proventus, Sacrifici, Clerici, aut ſacerdotia habentes, quibus centum annuæ redeunt libræ, numerabunt uni ſtudioſo commodum ſtipendium in Oxonienſi aut Cantabrigenſi gymnaſiis, aut alio quopiam pædagogio: ita ut pro ſingulis librarum centuriis, totidem ſtudioſis ſtipem perſolvant: qui literis exculti, patronorum humeris incumbens onus fulcire & levius reddere, vel concionibus, vel alio officio quopiam, aut (ſi poſtulet neceſſitas) Remp. conſilio & prudentia juvare poterunt.

16. Iidem habentes in hoc decanatu templa, ædiculas, ſacraria ruinoſa & lacera, æquam portionem in tuendis illis ſartis tectis in poſterum quotannis dependent.

17. Iidem ſingulis anni quatuor partibus, ſemel aduocata concione legent di-

ſtincte haſce præceptiones, quo & ipſi ſui officii admoneantur, & ſubditi fidelius ſequantur.

18. Quoniam ex lege quisque tenetur anniverſaria nomina perſolvere, nemo defraudabit ſuum Paſtorem aut Vicarium, recepta de more ſtipe. Quod ſi quid vitii aut maculæ in ſuis Vicariis cauſentur ſubditi citra malevolentiæ ſuſpicionem, referent iſtud ad ſuperiores Magiſtratus, quorum cura erit proſpicere iſtiusmodi querelas, easque componere.

19. Nullus immutare eſurialium feriarum, precum, aut ſacrorum rationem præſumat in aliam formam, quam in hiſce præceptionibus exponitur, ad id usque tempus, quo ex autoritate Regia ea ratio mutabitur.

20. Item ſacrifici quicunque tandem, ad gradum Baccalaureatus in Theologia nondum provecti, ante tertium ab hac viſitatione menſem, comparabunt de ſuo Novum Teſtamentum, tam Latinum quam Anglicum, cum paraphraſi Erasmi, diligenti ſtudio utrunque conferendo: Ubi ea requiretur ab Epiſcopis eorumque Syndicis

Syndicis delegatisque cura, ut prædictos ſacrificos in conventibus ſuis examinent, quid in ſacræ lectionis ſtudio profecerint.

21. Præterea in ſingulis Eccleſiis, qui dictat cantatve ſummum ſacrum, leget aut legenda clara voce curabit Epiſtolam & Evangelium ejus diei Anglico ſermone, non Latino, in pulpito aut loco idoneo, unde populus exaudiat. Deinde quolibet die Dominico Feſtoque, clare & articulate eodem in loco pronunciabitur Caput unum e Novo Teſtamento Anglice, ſtatim a Lectionibus (quas vocant) recitatis: itidem in Veſperis poſt Deiparæ Virginis Canticum (Magnificat dicitur) Caput unum e Veteri Teſtamento. Proinde ut commodiſſime iſta fiant, viſum eſt Regi, de novem Lectionibus tres ſummoveri cum ſuis Reſponſis: Rurſus in Veſperis Reſponſa cum Memoriis univerſis omitti.

22. Quoniam ægri de vita periclitantes, ſæpenumero artibus impediti & ſuggeſtu Dæmonis in deſperationem prolabuntur, huic nefando malo occurrendum eſt. Itaque quo fidei imbecillæ homines,

& ſolida fiducia defecti, participare queant infinitam omnipotentis Dei Miſerationem, nullis noſtris meritis impenſam, omnibus in eo certam ſpem collocantibus benigne oblatam, dicti ſacerdotes ediſcent atque habebunt in promptu conſolatorias ſententias, e ſacrarum literarum penu congeſtas, quæ inſinuant miſericordiam, beneficia, & benignitatem Dei erga pœnitentes, ut urgente neceſſitate vivo Dei verbo, unico conſcientiarum adminiculo, gregem ſuum conſolentur.

23. Præterea uti tollantur contentiones, quæ inter oppidanos ſolent ſurgere de principatu dignioreque loco in publicis pompis, utque fructuoſius lecta aut cantata audire poſſint, abrogantur pompæ circum ædes ſacras & cœmiteria. Cæterum ſacrifici cum ſuis choroſtatis ante ſummum ſacrum in medio templi in genua procumbentes canent pronunciabuntve clara & articulata voce Supplicationes, Litanias nominant, Anglicè editas cum ſuffragiis inſequentibus: reliquis omnis generis proceſſibus ſeu pompis miſſis factis. In cathedralibus collegiatisque Eccleſiis loci huic inſtituto per Regios Commiſſarios deſignabuntur.

tur. Deinde, quum obeuntur Litaniæ, ſacrum ſummum, concio, & lectio ad populum e ſacra ſcriptura, nemo, niſi juſtiſſima de cauſa, ſubducet ſe è templo: quo toto tempore campanarum & tintinnabulorum ſtrepitus ceſſabit, præter unius nolæ pulſum ante concionem.

24. Quemadmodum profani dies dicati fuere laboribus, quibus victum quæreret plebs: ita feſtus dies à primordio ſanctè fuit inſtitutus, quo Deo vacaret eadem à curis libera. Nunc cùm feriis magis irritetur quàm placetur ira numinis, ob ocia, faſtus, temulentias, jurgia, altercationes, iis diebus pene peculiaria vitia: atque interim vulgus hominum ſatis feciſſe ſe Dei cultui, auditis ſacris, exiſtimet, de cætero fideles Regis ſubditi feſtos dies celebrabunt, quem in modum Deus voluit, audiendi Verbum Dei, prælectum pariter, & expoſitione illuſtratum: publicis privatisque precibus: confitendo ſua delicta Deo: vitam emaculando: reconciliandis ſibi proximis, cum quibus ſimultas fuit: frequenter corpus Dominicum ſumendo: viſitando inopes & ægros: ſobria vita: colloquiis de rebus divinis. Nihilominus docebunt Paſtores citra morſum

conſcientiæ diebus etiam feſtis meſſem facere, & tueri dona Dei poſſe: ac graviter offendere Deum, ſi cum ſcrupulo ſuperſtitioſè in hujusmodi diebus à labore ſupersedeant.

25. Quandoquidem inimicitiæ ſumme exaſperant Deum, & inprimis repugnant ſacroſanctæ Communioni, ab ea excludet Paſtor, quos norit palam & peſſimo exemplo diſſidere, donec depoſita ſimultate in gratiam mutuo redierint: cauſas tamen & jus quisque ſuum liberaliter proſequi poterit apud Magiſtratus, audiendis injuriis componendisque diſſidiis inſtitutos.

26. Decani, Archidiaconi, Præſides Collegiatarum Eccleſiarum, Xenodochiorum Magiſtri, Præbendarii, quotquot ſacris ſunt initiati, bis ſaltem in anno, locis unde titulum præferunt, aut in Eccleſia, in quam Jurisdictionem prætendunt, concionari ipſimet debebunt.

27. Docebunt non eſſe violandas aut infringendas obſtinate & pervicaciter laudatas Eccleſiæ Ceremonias, per Regem confirmatas, ac nondum abrogatas: Rurſus incurrere præſens animæ ſalutis diſcrimen, qui ſuper-

superstitiosius æquo iis abutuntur, cujusmodi sunt: aspergo aquæ lustralis in lectos, simulachra, aliasque res inanimes: gestatio panis sacrati, aut Evangelii Joannis: cruces è ligno fingere in die Palmarum, aut inter legendum passionem Dominicam: observatio privatorum festorum, à fabris, pistoribus, calciariis observatorum: sonitus campanæ sacræ aut cerei sacrati benedictio: quarum ceremoniarum beneficio liberari à sarcina peccatorum, dæmones fugari, spectra procurari persuasi sunt: aut spem recuperandæ valetudinis in iis collocant. Itaque gravissimè Deum offendunt, dum aliorsum ista accipiunt, quàm fuerint instituta, nempe in memoriam beneficiorum à Christo acceptorum.

28. Tollent demolienturque capsulas, urnas sacratas, tabulas, candelabra, cerea involucra, picturas, imagines depictas, & id genus alia monumenta miraculorum fictitiorum, peregrinationum, Idololatriæ, & superstitionum: Sic ut ne memoria quidem istorum extet reliqua in parietibus, vitreis fenestris, tam intra penates suos, quam templa: Quod factum ut in suis quisque ædibus imitentur, autores erunt apud populares.

Vtque

Vtque Aedituo publico ære ſuggeſtum conſtruant, pro annunciando Verbo Dei.

29. Vt intra tertium ab hac viſitatione menſem, munitam ciſtam publicis impenſis redimant, in ſuperiore parte foramine pertuſam, tribus diverſi generis clavibus inſtructam: quarum una penes Paſtorem Vicariumve, reliquæ duæ penes Aedituos, aut delectos annuo officio viros bonos erunt. Ea ciſta firmabitur ante primariam aram, in quam eleemoſynas, in vicinos egenos erogandas, conjiciat quisque. Paſtor aut Vicarius per occaſionem, præcipueque in condendis teſtamentis, hortabitur ſtudioſè, pro ſuis facultatibus, ut ſinguli in prædictam arcam conferant: Ac enimverò quum ſuperioribus ſeculis magnas opes profuderint ipſi eorumque Majores, in alium á divino mandato uſum: in Indulgentias, Peregrinationes, Indumenta ſimulachrorum, Candelarum oblationes, Donationes in Monaſteria, ejusque generis frivolas & cæcas religiones: hoc tempore monebit longe propenſiores eſſe debere in ſuſtentandis pauperibus, qui verus eſt Dei cultus, Deoque acceptiſſimus. Has eleemoſynas, qui claves aſſervant, idoneo tempore coram univerſo popu-

popularium cœtu, aut ſaltem ſex delectis, fide optima in egenos erogabunt: quibus ſi ſit abundé proſpectum, ſecundariò reparandis viis regiis impendent. Adde huc quod collectitiæ pecuniæ ſodalitiorum in eandem ciſtam affundentur, in eundem uſum uti cedant. Item reditus ex agris: lucrum quod ex armentorum paſtu colligitur: pecuniæ vim relictæ pro emendis facibus, cereis, lychnis, ad eundem uſum devolventur: niſi quod portionem dictorum emolumentorum ſarciendæ reparandæque ædi, ſi ferat uſus, impendere fas erit.

30. Sacerdotes cum ſint publici Eccleſiæ miniſtri, debeantque feſtis diebus toti Parochiæ ſe dare, non tenebuntur puerperas inviſere, niſi periculoſe laborantes: neque cadavera domo efferre, & cum pompa ad tumulum comitari, priusquam ad cœmiteria perducta fuerint: tum enim humo, pro more, mandare ea licebit.

31. Ut obruatur teterrimum Symoniæ vitium, quo velut inſtitoriis operis mercantur venundantque ſacrificia: decernitur, quod qui redimunt ea, aut occultis artibus & impoſturis intervertunt, nedum privabuntur, verum etiam declarabuntur

in

in posterum indigni spirituali quopiam gradu. Rursus qui divendunt, aut prætextu aliquo ementito spe lucri ea resignant, amittent jus patronatus, ac donatio cedet Regi.

32. Quoniam præ inopia concionatorum, plebs in altis ignorantiæ tenebris & cæcitate versatur, Pastores Vicariive præibunt legendo quolibet die Dominico in suis Ecclesiis unam ex Homeliis, autoritate Regia prælo traditis, ea ratione quam libri procemium docebit.

33. Plerique inepti homines ac protervi, despiciunt & male tractant Sacerdotes & Ecclesiæ ministros, eo quod plerique ex illis parum docti, addictiores superstitioni fuerint, quam veritati: de cætro ob munus suum a Deo delegatum, Rex vult & mandat fidelibus subditis, eos amice ac reverenter habendos, præsertim qui Verbum Dei promovere satagunt.

34. Latinæ linguæ imperiti, non alias sequentur preces horarias, quam superiori anno Anglice editas autoritate Henrici VIII. clarissimæ memoriæ Regis. Pædagogi

dagogi primæ juventuti non alium proponent librum. At Latinæ linguæ cognitionem habentes, ſimiliter non alias tenent horarias preces, quam eadem autoritate prælo excuſas. Gratiarum quoque actiones in prandio cœnave Anglice dicentur. Nec alia Grammatices inſtitutio pueris proponetur usquam, quam prædictæ autoritatis aſſenſu in lucem edita.

35. Sacerdotes (qui animarum dicuntur) dabunt operam in docenda juventute, legendo pariter & ſcribendo, ac bonis moribus imbuendo.

36. Quando fiet concio, aut homilia ad populum recitabitur, Primæ (quas vocant) & Horæ omittentur.

Has Præceptiones R. M. tradit ſacris Ordinibus, eorumque ſucceſſoribus, fidelibusque ſuis ſubditis obſervandas, tuendas, ſub pœna privationis beneficiorum, alienationis proventuum, excommunicationis, & id genus coërctionum, præſcribendarum ex arbitrio Ordinariorum aliorumque Eccleſiaſticam jurisdictionem habentium, quibus hoc muneris à Rege impoſitum eſt. Regi

inſuper

insuper placet, ut Prætores operas communicent cum Ordinariis delegatis, quo debita ratione exequantur in hisce Præceptionibus contenta.

Edita per R. M. Anno Domini 1547. Regni Eduu: VI. primo. Mense Julio.

EPI-

VIII.

EPISTOLA PII PAPÆ IV.

Ad

Danielem Archi-Epiſcopum Moguntinum Electorem,

Qua

Facultatem huic concedit, eligendi & deputandi Catholicos Sacerdotes, qui in Provincia Germaniæ, utramque ſpeciem Catholicis miniſtrare poſſint, certis tamen obſervatis conditionibus.

Anno MDLXIV.

Pius Papa IV.

VEnerabilis frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem! Cum ſacroſancta Tridentina Synodus, in ſeſſione de ſacrificio miſſæ habita, referendum ad nos eſſe decreverit negotium, alias in eadem Synodo propoſitum de uſu

ſacri Calicis alicujus Nationis vel Regni populis concedendo, ut id nos conſilium caperemus, quod animabus ipſum calicem petentibus ſalutare futurum eſſe judicaremus. Peracto Concilio, chariſſimus in Chriſto filius noſter Ferdinandus Romanorum Imperator electus, inſigni ſuo & perpetuo pietatis zelo adductus, re prius, ſicut ad nos ſcripſit, communicatâ cum nonnullis præcipuis S. Romani Imperii Prælatis ac Principibus eccleſiaſticis, & dilecto filio nobili viro Alberto Bavariæ Duce, genero ſuo, per literas & per oratorem ſuum, diligentiſſime nobis expoſuit, ingens evidensque periculum, quod in Provinciis inclytæ nationis Germanicæ & aliis regnis ac Dominiis ſuis, imminet religioni Catholicæ, ne ibi penitus extinguatur, propterea, quod illæ Catholicorum reliquiæ, tanto deſiderio communicandi ſub utraque ſpecie teneantur, ut non pauci jam ad hæreticos ſeſe ob eam ipſam cauſam contulerint, à quibus Catholicæ fidei veritatem abjurare coacti ſunt, & de cæteris, niſi Calicis uſus ipſis concedatur, magnopere, ne idem faciant, atque ita omnes ab eccleſia recedant, verendum ſit. Itaque vehementer nos oravit, obſecravit, & in-

& inſtitit ſuo & ipſius Ducis Bavariæ nomine, ut tot Germanicæ Nationis & regnorum ac Provinciarum ſuarum populis opitulari, pro conceſſa nobis a Domino poteſtate vellemus. Qua eadem de re idem Bavariæ Dux, Princeps non genere magis quam pietate inſignis ac nobilis, per oratorem ipſe quoque & per literas diligentiſſime nobiscum egit, multique præterea doctrina, religione prudentiaque præſtantes Viri nos hortati ſunt. Commota fuerunt perinde ac debuerunt, & penitus concuſſa viſcera noſtra dolore quodam intimo, poſtquam de tot animarum jactura, pro quibus Chriſtus Dominus noſter, precioſiſſimum ſuum ſanguinem in ara crucis effudit, & de tanto ac tam manifeſto diſcrimine, quod Catholicorum reliquiis in illa nobiliſſima natione & dictis regnis ac Dominiis impendet, ex tam piorum Principum & aliorum gravium virorum teſtimonio cognovimus. Huic igitur periculo quod proponitur, pro paſtorali officio cupientes obviam ire, & multorum infirmitati paternæ charitatis viſceribus ſubvenire, ne unquam de nobis dici poſſit, tot pereuntes animas a nobis neglectas fuiſſe, & non fe-

ciſſe nos quicquid potuerimus, ut nutantes confirmaremus, lapſos erigeremus, errantes in ſalutis viam reduceremus. De fraternitatis tuæ zelo, diligentia & circumſpectione confiſi, ſi ita eſſe & ſaluti animarum expedire cognoveris, in quo conſcientiam tuam oneramus, Tibi & iis, qui maturo rectoque judicio ſubdelegabuntur a te, tenore præſentium de poteſtatis Apoſtolicæ plenitudine facultatem damus, atque concedimus eligendi & deputandi Catholicos ſacerdotes, qui in provincia tua, (exceptis partibus, in quibus chariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Hiſpaniarum Rex Catholicus temporale Dominium, aut aliquod jus habeat) utramque ſpeciem decenti ordine ſervato, & omni offenſione vitata, quæ oriri poſſet inter communicantes ſub utraque, & ſub una tantum ſpecie miniſtrare poſſint, illum ex devotionis fervore petentibus, dummodo ii, qui illum petierint, cum ſancta Romana Eccleſia communionem habeant, & cum cæteris in rebus fidem ejus doctrinamque ſequantur: tum hoc quoque confiteantur, profiteantur & credant: in ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento, tam ſub una, quam ſub utraque ſpecie,

cie, verum & integrum corpus Christi esse, nec Romanam ecclesiam errasse aut errare, quæ exceptis duntaxat sacerdotibus celebrantibus cæteros tam clericos quam laicos sub specie tantum panis communicat; Et præterea contriti ac confessi, munere sacramentalis absolutionis accepto, ad ipsam sub utraque specie communionem sumendam accedunt. Ut vero etiam lapsis, si ad gremium matris ecclesiæ redire voluerint, remisso rigore canonum consulamus, permittimus, ut si vere & ex animo resipiscant, erroresque & hæreses in quibus fuerant, apud Te vel subdelegatos abs te detestentur, abjuratio eis secreta sufficiat, injuncta tamen eis pœnitentia salutari; Nisi magis eam abjurationem publice fieri expedire tibi, ipsiusve subdelegatis visum fuerit, quod arbitrio vestro relinquimus, atque ita ab omnibus pœnis, censuris & sententiis, in quas propter hæresis crimen incurrerint, absoluti, & fidelium unitati ac sacramentis ecclesiæ restituti, ipsi quoque ad communionem sub utraque specie admitti possint; Illud fraternitatem tuam monemus & diligenter curare volumus, ac mandamus, ut confessores & sacerdotes, abs te illisve, quibus tu hanc potestatem subde-

legabis eligendi & deputandi, in concionibus & hortationibus ſedulo populum ſub utraque ſpecie communicaturum doceant, adhortentur & moneant, ut integrum Chriſtum ſicut diximus, tam ſub una quam ſub utraque ſpecie contineri, fideliter credat, confiteatur ac teneat. Datæ Romæ ap. S. Petr. ſub annulo piſcatoris die 16. Aprilis 1564. pontificatus noſtri anno quinto.

Venerabili fratri Danieli Archiepiſcopo Moguntino S. R. J. Principi Electori.

Antonius Florabellus Lavellinus.

IX.

IX.

EPISTOLA

JOHANNIS PHILIPPI, ARCHI-EPISCOPI ET ELECTORIS MOGUNTINI ETC.

Ad Summum Pontificem

DE

Communione calicis concedenda uni Principi, Comiti, Civitati, Domino immediato, reditum ad Eccleſiam Catholicam meditanti, cum certo & evidenti fructu, quæque ad alios non tranſibit, niſi cum pari fructu.

Addita conſideratione Theologi cujusdam Status præſentis Germaniæ gnari.

Beatiſſime Pater!

FRequenter contingit in Germania noſtra, ut quam omnes optant Schiſmaticorum, & Hæreticorum ad unitatem & veritatem Eccleſiæ Catholicæ reductionem & converſionem, ſinguli cujuscunque ſtatus ac conditionis viri docti, opportunitate data vel accepta, conentur promovere.

Cumque populus ad exemplum Principum, Comitum, Dominorum immediate Imperio ſubjectorum fere componatur, quam ſemel induxerunt Magiſtratus, publica authoritate ſive toleratam ſive firmatam mutationem; inveniunt eminentes doctrina zeloque viri quaſi inſuperabilem, quousque magis ſtatus non habent faventes, ut iisdem cooperantibus ſubditi, à ſacrilegio ſchiſmatis, & malo hæreſis liberentur. Principes vero, comites & ſub Imperio Domini immediati in hoc maxime hærent, quod quamvis perſpiciant ſectæ Lutheranæ vanitatem deſiderentque antiquum regimen ſub uno capite Pontifice Maximo: Nec dubitent de veritate Doctrinæ circa fidem & mores, quæ in Eccleſia Catholica univerſaliter obtinet, nequeunt tamen ſibi perſuadere, infirmitate in dubie humana preſſi, ad priorem unitatem Catholicam eſſe redeundum, niſi cum ſubditis & populis, quibus præſunt, valeant redire, exiſtimantes ſe in ſuo ſtatu non fore ſecuros, niſi ſubjectis eidem ſecum religioni addictis imperent. Sibi etiam perſuadent, ſe glorioſius ad caulam Dominicam poſſe remeare, ſi benevolentiam Eccleſiæ in calice concedendo experiantur. Non quod ſibi perſuadeant, utramque ſpeciem

ciem sacramenti necessariam esse ad salutem, vel à Christo universaliter præceptam, sed quod existiment, rem esse natura sua liberam, in primitiva Ecclesia usitatam, quam summus pontifex possit concedere pro ipsorum solatio, ut videantur invitantem beneficio affectum amplecti. Ita putant, se posse redire ad unitatem Ecclesiæ tanquam sine dedecore, quod alioquin magnates a sequenda veritatis via sensuerit retrahere, ita putant subditos suos haud difficulter secuturos. Si videant Dominos suos obtinuisse beneficium, cujus sunt participes. Qui dispositi sunt ad amplectendam unitatem Catholicam, agnoscunt licitam esse sub una specie communionem, quam tempore primitivæ Ecclesiæ fuisse in certis casibus usitatam, non diffitentur. Videtur tamen ipsis aliqua Catholicorum, durities, nolentium indulgere quod possunt, quod esse conforme praxi primitivæ Ecclesiæ negari non potest, & quod plurimorum reductione, maximoque Ecclesiæ Catholicæ emolumento concederetur.

Mihi certe multoties contigit, pro ea re a Magnatibus interpellari; quibus dum operam meam pro obtinendo petito ad-

dicere, non ſuſtinui, omnem diligentiam meam pro obtinenda converſione caſſam fuiſſe obſtupui & indolui.

Hæc autem res me movit, ut Theologi cujusdam Status præſentis Germaniæ gnari, conſiderationem poſtularem, quam & hiſce inſerendam duxi Sanctitati T. communicandam, ejusque judicio debita veneratione ſubmittendam.

Conſideratio.

Nunquam dubitatum fuit in Eccleſia, quin ſummus Pontifex habeat poteſtatem concedendi uſum calicis certis Nationibus,

De Conceſſione

Civitatibus & Dominiis; Neque enim licet dubitare, quin ex legitima poteſtate factum ſit, quod non ſemel in Eccleſia autoritate publica factum eſſe conſtat. Sed non omnia quæ licent, mox expediunt, videndum igitur, an id expediat in præſentibus Germaniæ circumſtantiis.

Referente Cardinale Pallavicino Hiſt. Concil. Trid. part. 2. cap. 3. lib. 18. fuit quæſitum in Concilio. An concedendus ſit uſus calicis, dummodo qui utantur, profiteantur fidem Catholicam Romanam & obſervantiam rituum, dummodo prædicato-

catores doceant, communionem, ſub una ſpecie eſſe laudabilem, & niſi Eccleſia diſpenſet, obſervandam: dummodo obedientiam præſtent ſummo Pontifici, tanquam Capiti Eccleſiæ, aliisque Prælatis, dummodo antecedenter confiteantur, & abuſus per ordinarios præveniantur?

Hæc quæſtio, quæ multas habuit in concilio opiniones, tandem unanimi conſenſu remiſſa eſt ad ſummum Pontificem. Cum enim lex Generalis præcedentium conciliorum non videretur abroganda; Quid in particularibus circumſtantiis eſſet ſtatuendum, arbitrio ſummi Pontificis relictum eſt.

Calicis.

In Concilio petita eſt a Cæſare aliisque Conceſſio Calicis pro tota Germania & Hungaria, difficilis petitio, quæ Gratiam poſtulat generalem ſine certo fructu, & cum probabili incommodo non uno; quemadmodum in concilio explicatum eſſe, tradit d. Cardinalis, inpræſenti autem petenda videtur facultas concedendi gratiam iſtam uni Principi, Comiti, Civitati, Domino immediato, cum certo & evidenti fructu; quæque ad alios non tranſibit, niſi cum pari fructu.

Incom-

Incommoda, quæ ex Generali conceſſione nata ſunt emergere, vel in hac particulari conceſſione facienda locum non habent, vel tam ſeria ſunt, ut Collato fructu totum pondus elevetur. Præſens petitio agit tantum de Lutheranis ad unitatem Catholicam diſpoſitis, convertendis, facilius reducendis, fortius retinendis: non agit de pertinacibus hæreticis omni Gratia indignis. Non agit de Catholicis Zelotis & bene inſtructis, qui illam gratiam non petunt: Non agit de hypocritis, qui fidem ſimularent, ut gratiam Principum obtinerent. Cum Principes, Comites, Civitates, Domini in Germania ſibi ſufficiant, eorumque commodis, in puncto Religionis, pactis publicis plus nimio ſit cautum. Et etiamſi inter illos eſſent ſimulatores; propter illos tamen bonum communitatis non foret negligendum, maxime, quod etiam talium proles, in fide Catholica educatæ, paternæ ſimulationis hæreditatem non adeant. Non agitur de debilibus Catholicis, qui prætextu Pietatis utramque ſpeciem petunt, cum illorum perſuaſio ſoleat naſci ex errore intellectus, judicantes, utramque ſpeciem eſſe neceſſariam, ſed unice agit hæc petitio

tio de infirmis in fide, quos ſuſcipiendos eſſe monet Apoſtolus. Agitur de iſtis Lutheranis converten di, quibus nunc quidem perſuaſum eſt, communionem ſub utraque ſpecie non eſſe neceſſariam ex præcepto Chriſti; ſed quibus perſuaderi non poteſt, ut ſub una ſpecie communicent, ſe non indignos ea gratia, quam reditu ſuo ad Eccleſiam abunde compenſent.

Agnoſco, in hoc illos errare graviter; neque enim reditu ſuo, ad Eccleſiam tam præſtant beneficium quod illa gratia compenſetur; quam recipiunt, ideoque magis foret conveniens, ut tamquam pœnitentes; nec non hæreſin, & ſchisma abnegantes, ac deplorantes Eccleſiæ judicio humiliter ſe ſubmitterent.

At vero ſi hoc facerent, non eſſent conſiderandi ut infirmi in fide, quibus præſtetur miſericordia, quia autem & infirmos ſuſcipit pia mater Eccleſia, ſequitur regulam charitatis, quando ſtatuit, nihil omittendum eſſe, quo errantes, ex præcipitiis hæreſium & ſchismatis revocati, in viam Catholicæ unitatis & veritatis reducantur: hoc ipſum exiſtimans magnum bonum ſuum, quod mortuas proles ſuas iterato parturiat, vitæ reſtituat, & in ſocietatem

ſancto-

ſanctorum quaſi adoptet. Græcis unitis concedit Eccleſia non tantum diſtributionem communionis ſub utraque ſpecie; ſed etiam multos alios ritus ab obſervantia occidentalis Eccleſiæ diverſos. Atque ſapienter facit exemplo Moyſis, populo judaico varia permittentis propter duritiem cordis. (Cardinal Pallavic. lib. 18. cap. 3.) Ipſa inter Græcos teſtatur experientia, poſſe diſtribui Communionem ſub una & utraque ſpecie in eadem Eccleſia, poſſe diſtribui in azimo & in fermentato, ſine ulla fidelium diſcordia: Card. Pallavic. lib. 18. capit. 2. Imo Græci diſtribuunt panem vino tinctum, quod plane diverſum eſt ab exemplo Chriſti. (Cardinal. Pallavic. ibidem.)

Quapropter ſi ad reducendos a ſchismate Græcos exemplum Moyſis intuetur Eccleſia & laudabiliter intuetur, quia ipſa illa reductio eſt velut Conſtitutio novi populi; qui conſiderandus eſt ut debilis & per aliqualem indulgentiam ad obedientiam formandus: videtur ab Eccleſia expectari poſſe par affectus, pro reducendis ab hæreſi & ſchiſmate Germanis.

Neque obſtat, quod nonnulli exiſtiment, Conceſſo convertendis Lutheranis calice,

calice, eandemque gratiam ab aliis nationibus eo fortius petendam, quo ſibi magis perſuadebunt, eam ſuæ fidelitati non eſſe denegandam, quod exiſtiment, conceſſo Calice, petendum matrimonium pro ſacerdotibus; abrogationem imaginum, aliaque ſimilia. Card. Pall. lib. 18. C. 4. Quia vel ſponte ſua ceſſabit uſus Calicis, quemadmodum videmus in iis Germaniæ locis, in quibus olim fuit conceſſus, vel ſi non ceſſet, eodem loco erunt iſti Principatus, Comitatus, Civitates & Dominia, quo Eccleſiæ, Græcæ, in quibus ex illo capite nullum eſt diſſidium.

Et caſu quo ſummus Pontifex eandem gratiam faceret, aliis nationibus, nihil perderet Eccleſia, ſed ritum primis poſt Chriſtum temporibus obſervatum ſine incommodo reduceret, qualem mutationem in aliis quoque ritibus non ſemel contigiſſe, teſtantur Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ.

Neque à Conceſſione Calicis dabitur progreſſus ad poſtulandum matrimonium ſacerdotum. Nam præcipuis Proteſtantium fere diſplicent ſuorum miniſtrorum matrimonia, quos vident ea ratione ad indecorum, pauperiem redigi, & ad opera ſervilia, quibus panem familiis ſuis procurent. Iſti

ergo

ergo Proteſtantes, ſola conceſſione Calicis reducendi, exemplum fient aliis non petendi matrimonium ſacerdotum.

Habeo etiam ex ore Principis Lutherani late imperantis, & a fide Catholica non alieni, ſolam conceſſionem Calicis ſufficere reducendis ad unitatem Catholicam plurimis lutheranis, ut qui de matrimonio ſacerdotum deſierunt eſſe ſolliciti, poſtquam vident miſerendum ſtatum, ad quem ſui miniſtri ſunt reducti, & perpendunt in melius nunc per Germaniam reducta diſciplina Eccleſiaſtica, decentiam ſtatus ſacerdotalis. Minus a Conceſſione Calicis dabitur progreſſus ad abrogationem imaginum; quod lutherani uſum imaginum hucusque in ſuis Eccleſiis retineant.

Similiter non obſtat, quod forte ex adverſo dicetur; Hæretici triumphabunt & ſpargent, Eccleſiam Catholicam errorem ſuum correxiſſe.

Quando enim illis defuit materia maledicentiæ, qui ex patre mendaciorum prodeuntes, hucusque in Calumniis adverſus Eccleſiam Catholicam ſpem omnem poſuerunt? Imo potius contriſtabuntur & tabeſcent Hæretici, videntes Eccleſiam Catholicam prudenti Conſilio, pia compaſſione indul-

indulſiſſe, quod potuit indulgere; indeque factum eſſe, quod toti principatus, Comitatus, Civitates, Dominia, relicta parte hæretica & ſchismatica, priori unitati Catholicæ copulentur, conſequenter magni faciendus non erit inanis ille triumphus, non ſolum ſine omni victoria, ſed poſt tantam ipſorum cladem, converſis ſalutarem.

Exemplum præteriti idipſum ſuadet; Cum enim circa annum ſexageſimum ſuperioris ſeculi Paſtores aliquot Catholici in Ducatu Montenſi non valerent continere plebem a defectione ad Lutheranismum, niſi Communionem diſtribuerent ſub utraque ſpecie, conſulto Illuſtriſſimo Domino Nuncio Apoſtolico iſtius temporis, dato Calice retinuerunt populum in fide & unitate Catholica, illaque loca hucusque in eadem fide & unitate perſtiterunt, neſciuntque communionem, niſi ſub una ſpecie, vicina autem loca, in quibus ſimilis providentia non eſt adhibita, defecerunt ad Lutheranismum, in quo etiam adhuc pertinaciter hærent.

Similiter in Civitate Marcodurana multis annis licitum fuit, S. Communionem accipere ſub una vel ſub utraque ſpecie, & ſic impedita fuit totius ejus Civitatis defectio, ad quam populus propendebat. Teſtes

etiamnum viventes declarant, se vidisse circa annum vigesimum hujus seculi, in una Ecclesia Marcodurana distribui communionem sub una specie, in alia sub utraque, & tamen diligentia Pastorum reducta est res ad statum antiquum, eliminata diversitate.

Si talis Concessio sit facta Catholicis, ne deficerent; qui poterant censeri ad acceptandam informationem magis idonei; quanto potiore jure facienda est Lutheranis principibus, Comitibus, Civitatibus, Dominis, quorum subditi ex integro ab unitate Catholica defecerunt, utique informationis Catholicæ minus capacibus. Possunt quidem singulares personæ converti per informationes circa Catholicam veritatem; sed in Germania non vidimus, populum secutum esse Principis, Comitis vel Domini sui exemplum, quando ex illis fuerunt conversi. Cum igitur varii sive Principes sive Comites sive Domini sub Imperio immediati unice desiderent & postulent, concessionem Calicis; spemque faciant redeundi ad unitatem fidei Catholicæ, una cum suis subditis & populis, non perspicio, quæ possit subesse causa, cur tantum bonum concessione Calicis non promoveatur. Certe

Prin-

Principum aliorumque magnatum interest plurimum, ut una cum subditis suis Ecclesiæ Catholicæ reconcilientur, quod per rationes politicas deducere non est mei fori. Interest plurimum Ecclesiæ Catholicæ per Germaniam, ut integri Principatus, Comitatus, Civitates & Dominia Ecclesiæ Catholicæ incorporentur, quod omnes facile perspiciunt, quibus hodiernus Germaniæ status est notus. Sicut facultatem concedendi usum calicis commisit olim summus pontifex Illustrissimo Domino ad Tractum Rheni Nuncio Apostolico, test. Card. Pallav. lib. 14. C. 3. vel aliis Episcopis Germaniæ, quod & olim contigisse ibidem refertur, ita optandum foret, si summus Pontifex idem nunc committeret, Eminentissimæ Celsni S. tanquam Archi-Episcopo Moguntino, cum similis commissio dicatur prædecessori ipsius a summo Pontifice imposita.

Et quidem sperarem in his circumstantiis alium longe successum, quam per priores Commissiones: Non quod existimem, aliquid defuisse prudentiæ vel dexteritatis in iis, quibus datæ sunt istæ Commissiones, sed quod initio hæresis & schismatis, quasi exulcerati animi, in factiones & dissidia proni, dexteram medicantem non ferrent, nunc

autem aliter ſe habent plurima ; Principibus aliisque, per converſationes cum Catholicis, per lectiones librorum, & ante omnia per gratiam Dei, de reſarcienda unitate Catholica, de erroribus deponendis, de veritate amplectenda ſerio cogitantibus. Hi cum frequentes occaſiones habeant agendi cum Eminentiſſima Celſitudine S. in qua non vulgarem habent confidentiam, ſi ſpem habeant obtinendi facultatem diſtribuendi Calicis, allaborabunt indubie, ut ſuo Exemplo perſuadeant ſuis ſubditis neceſſariam & ſalutarem cum Eccleſia Catholica unionem.

Non fuerunt tales circumſtantiæ, a quo inchoatum eſt ſchisma Lutheranum, usque in hoc tempus. Pax alta eſt in Germania, apta promovendo Pacis regno : Animi Principum & Magnatum ad unitatem Catholicam diſpoſiti, qui ſuperveniente bello facillime alienantur, proteſtantibus adverſus Catholicos in unum coeuntibus : Adeſt Eminentiſſimæ Celſitudinis S. eminens autoritas, qua & animos & corda proteſtantium ſibi habet addicta & faventia, qualem inclinationem pro Electore Eccleſiaſtico a ſuſcitato ſchismate Germania non eſt experta.

Faxit Deus, ut ſummus Pontifex rem illam

lam Eminentissimæ Celsitudini S. committat, de cujus prudenti directione sicut non potest dubitare, sic gloria ipsius erit, per idoneum Principem tantum bonum Ecclesiæ Catholicæ sibi commissæ procurasse.

Et hæc quidem, a Theologo mihi communicata, consideratio, Ecclesiasticos, de statu Germaniæ debite informatos, habet consentientes: Quæ res, si quidem mihi committatur, licet non modico oneri sit futura, confido tamen in Domino, ex successu optato Sanct. v. magnum meritum, Ecclesiæ Catholicæ ingens incrementum accessurum: Quo facto, lubens dixero: Nunc dimitte servum tuum in Pace.

Omnia Tamen Sanct. v. altiori judicio submitto.

X.

EPISTOLÆ

Quædam ineditæ ex Bibliotheca Krafftiana.

I.

DANIEL HEINSIVS MICHAELI PICCARTO.

VIr Clariſſime : Menſes, ni fallor, ſex ſunt, quum ſuaviſſimas & quæ intimum animi tui candorem ſpirarent, imo ipſum hunc animum aperire mihi viderentur, litteras accepi, tribus ante, ni fallor, menſibus datas. Quæ non tam ſero tamen, quam importuno tempore in manus meas pervenerunt. Sub Auguſtum quippe Menſem itineri accinctum oppreſſerunt : ita, utvix majus eſſet gaudium (erat tamen incredibile) quod e lectione earum percipiebam, quam dolor, quod ad eas reſpondere non poſſem. Priores, quarum meminiſti, equidem accipere non memini. Neque certe hactenus nihil ſcripſiſſem. Qui theſaurum mihi reperire videor, quum amicum litteratum occaſio aut mutuus litterarum

rum amor conciliare mihi solet. Quare, mi Piccarte, noli tantopere ambire, id quod per te ipse & virtutem tuam obtinere potes. Potes enim obtinere, imo debes, quidquid eruditioni ipsi & virtuti omnes tribuunt, qui ab illis duobus non sunt alieni. Oppiani tui versionem olim legi & probavi, sed quam liberalitate vestri Rittershusii accepissem. Crede mihi, ista studia, si cum Philosophia jungantur, usum suum habent, quem sine ea amittunt. Neque melius a contemptu vindicari possunt, quam si Divam illam amplectantur. Certe ornatum illi addunt, dignitatem ab ea accipiunt. Etiam Pericula tua vidi, quæ & ipsa ἀσφαλῆ i. e. sine ullo periculo a Te sunt edita. Sed ante omnia ingenuitatem tuam probo & candorem, quæ, si verum volumus fateri, paginam in his litteris utramque faciunt. Male agitur nobiscum, si ad contumelias unquam & calumnias proficimus; & quæ in vulgo ridemus, ea vulgo ridenda ipsi damus. Si cum omnia fecerimus, ut & hæc studia, quæ per semetipsa satis male audiunt, a contemtu vindicemus, quasi instituti nostri plane immemores, intemperie nostra omnium ludibrio ea exponimus. Quæ omnia aut ætatis sunt vitia, aut animi non

ſatis a ſapientia inſtructi. Nam ut navis ſine juſto onere & ſaburra quovis momento modo huc impellitur, modo illuc: ita mens noſtra, quamdiu illo fulcimento eget, quovis ab affectibus impellitur, quovis æſtu illo ac tempeſtate abripitur. Accepi & Epigramma ἐπικήδειον in magni noſtri Herois obitum a te conſcriptum, ſed tamen aliquanto ſerius, quam ut noſtris poſſit adjungi, quæ tum typis erant deſcripta. Neque minus gratum officium tuum fuit, quod ex animo illius nomine amplector: cujus nomen immortale eſt, & contra invidiam invictum ſemper ſtabit. Nam minores iſti canes latrare ſciunt, mordere neſciunt. Quibus ille ſolum contemptum opponebat. Reſtat, ut, quod antea feci, ſtudium omne meum & operam, imo meipſum tibi offeram, mi Piccarte, quod tum demum ſerio a me dictum fuiſſe intelligas, cum res ipſa verba confirmabit. Vale, noſter amor, & me ama. Lugd. Batav. 1610.

2.

C. Dornavius Mich. Piccarto.

VIr Cl. Herbam tibi porrigo, non certe affectu abs Te ſuperatus, ſed tempore.

re. Diu enim eſt, ex quo votum concepi ad Te ſcribere: quod exiſtimarem, non colloqui inter ſe, ab indole amantium eſſe quam alieniſſimum. Quod vero principium litterarii inter nos colloquii Tute facere voluiſti: facis, ut me ſuppudeat moroſæ meæ tarditatis atque incivilis pluſculum: qui prior Te compellare litteris debui. Hanc vero ipſam procraſtinationem compenſabit amor meus obſervantia plenus; quo Te colo veneror-que meritiſſimo tuo. Sic enim velim inducas animum tuum, quamprimum Pericula tua vidi, & orationem tuam de Luſibus Naturæ & obſervationes Hiſtorico-Politicas: genium me tuum exoſculatum eſſe. Gratulatum vero Reipubl. litterariæ, qui ſic utilia, ſic amœna promis, lectorem delectando pariterque monendo. Imprimis vero placet tua induſtria & judicium illud exornatum tuum: quo per omnem Hiſtoriæ campum, & cujuscunque ætatis Auctores decurrendum Tibi putaſti, nec negligendo veteres, nec poſthabendo medios, recentiores non faſtidiendo. Nam mihi quidem ſuperſtitioſus ille rigor videtur eorum & a tyrannide parum abeſſe, qui putant, meliorem mentem non

niſi priſci ſeculi vel exemplis vel præceptis conformandam eſſe. Obtineat ſane regnum vetuſtas: ſed in laudis ſuæ ſocietatem alios etiam admittat: quibus Natura, etiam nobis longe benigna Mater, non noverca, aliquid auri in pectora animosque infudit. Mihi certe digniſſima cedro videtur illa Marci vox: *Non bona omnia ex hominibus prorſus exterminata ſunt: ſed ſunt adhuc apud nos antiquæ virtutis reliquiæ.* Macte itaque, Vir præſtantiſſime, nac prudentia tua, fide, labore, & quo iſta omnia geruntur, Judicio! Tibi enim hoc potius tribuo, non modio, neque trimodio, ſed ipſo horreo; Tibi, inquam, tribuo: mihi vero de illa laude, qua me afficiendum putas, nihil decerpo. Novi, qua parte meus me calceus urat, & quam minime inſtructus ſim iis præſidiis, quæ delicato iſto ſeculo in litteris requirantur: etiam illud novi. Unum illud agnoſco & ago, prodeſſe juventuti, & pro viriculis meis de ea bene mereri. Tibi enim, mi Piccarte, pro libello abs Te mihi donato gratias ago maximas, majores etiam habeo. Ἀνίδωρον hoc tempore non habeo, niſi illud admittas, quale Glauci cum Diomede fuit. Tu ex præfatione, quid porro moliar,

moliar, agnoſces, & ex ſyllabo iſto, quem mitto. Hac in opera, ſi quid me juvare potes (potes autem plurimum) perofficioſe rogo, ut ne mihi deſis auxilio conſiliove, in primis ſuggerendo ea, quæ eruere apud noſtrates atque vicinos nequeo. Deſidero enim Comam Dionis Pruſæi & ejusdem Pſittacum utroque ſermone; dehinc Syneſii Calvitium Græce, quod Latine habeo. Deeſt Encomium Muſcæ Leonis Baptiſt. Alberti: Hugbaldi Monachi Calvitium; Bedæ Cuculus. Johannis Cornari laus podagræ, & ejusdem Encomium Antonii Galathei. Magnum mihi accedet beneficium his juvari, ſed & Authores bona fide reſtituam, niſi malis caſtigata deſcripta mittere, pro quo labore Amanuenſi tuo honorarium promitto. Patebit Tibi ſubinde occaſio commodiſſima, per Salmuthum Theologum litteras mittendi Pragam ad filium ſuum Bibliopolam, mihi non ſine aliquo nomine addictum. Vide, quam imperioſus ſim, in primo hoc ingreſſu! ſed ſcio, quocum mihi negotium ſit, ut proinde non arbitrer, culpam mihi deprecandam eſſe, quin potius pari fide, pari induſtria, me ad omne illud obſtringam; quod ex me jucundum aut utile

utile proficiſci in Te queat. Salutem quæſo meam vicaria voce impertias cl. Collegæ tuo, Virdungo: quem toties a me litteris provocatum mirari ſatis nequeo, quod a ſexennio nulla me epiſtola dignatus fuit. Ego nihilominus, ſi forte iraſcatur mihi immerenti, amo Virum, colamque dum vivam. Auſimne Tibi, cl. Piccarte, etiam præterea aliquid oneris imponere? Non renuis: videor mihi in fronte tua legere hujus lubentiæ indicia. Peto ergo, ut officia & ſalutem ex me offeras ampl. Dmo. Remo, cujus olim litteras non unas Baſileæ, quas ad Grynæum ſcripſerat, legi: ab eo vero tempore cl. Viri Doctrinam virtutemque admiratus ſemper fui. Deum veneror, ut eum ſoſpitet, faxitque, ut, quidquid calcaverit, id roſa fiat. Idem tibi contingat, anime mi. Tu cum tuis omnibus vale belliſſime & ſalve. Gœrlici 11. Dec. A. 1614.

3.

Johann Kirchmannus Piccarto.

BInas a Te V. C. hac æſtate accepi literas, unas a Grünwaldio noſtro, alteras, ni fallor, a Patre Buſchii, quem poſtremis meis

meis tibi commendaram. Utræque sane fuere mihi gratissimæ, cum testentur, te in pristino tuo adversum me amore constanter perseverare. De meo quoque animo non est quod dubites, eum tibi devotum polliceor, donec in hoc domicilio diversabitur. De Ruaro quæ scribis, invitus intellexi. Is ante paucos dies mihi adfuit, cum rediret ex Belgio, quo se a Tutoribus discipuli sui missum affirmabat ad faciendum funus Ernesto Ludovico a Bourgstorf, qui Lugduni Batavorum superiori æstate diem obierat, cui & Heinsius noster eleganti Oratione parentavit. Diserte ipsi significavi, quæ audieram de ipsius transfugio in castra Photinianorum, me quidem tale quid de ipso hactenus suspicatum non esse; sed jam me multa movere, ut fidem publicæ famæ habeam. Respondit, in sua potestate non esse, impedire, quo minus homines hoc illud de se sentiant, aut loquantur; culpæ huic se affinem non esse. Autorem hujus famæ appellabat quendam Livonum, qui jussus fuerit a nescio quo Professore Academiæ Regiomontanæ argumenta Photinianorum conquirere, atque hac in re Livono illi se operam navasse, qui nunc sibi tam nequiter

nequiter insultaverit. Ejus epistola, quam lectam ad te remitto, facit, ut parum ejus verbis fidem adhibeam. Sed quicquid ejus sit, recte & laudabiliter fecit Senatus Noricus, qui hujusmodi pravos libros publice cremari & impietatis hujus sectatores e ditione sua excedere per præconis vocem jussit. Male enim audire jam vestra Academia hoc nomine cœperat, & fuerunt, qui mihi id objicerent, primarii in hac urbe viri, cum aliquando quibusdam studiosis autor essem, ut ad vos studiorum causa se conferrent. Nunc spero, siniſtram illam famam brevi refutatum iri, ubi hoc senatus vestri decretum innotuerit, quod noster πρωϊεκκλησιαζης nuper publice pro concione laudavit, cum ex tuis literis, quas ei legendas dederam, id ipsum intellexisset. Syntagmati nostro de annulis nondum potui extremam manum addere: ita alia atque alia quotidie occurrunt, quæ moram mihi injiciunt. De Ratichio & ejus collegis de fraternitate Roseæ Crucis si quid certi habes, rogo mecum communices. De his mira sparguntur: de illorum doctrina videtur spes omnis decollasse. Miror Dominum Höflichium tam honorifico testimonio illorum somnia probasse, si modo illius

illius teſtimonium eſt, quod vulgo circumfertur. Ajunt, filium ejus deplorare jacturam temporis, quod huic Didactæ impenderit: Elzwigii mei converſatione te delectatum fuiſſe, pergratum mihi accedit. Quod ſi porro quoque ipſum amare perrexeris, magno me tibi beneficio obſtringes; juvenis eſt literarum amantiſſimus, quique ad ſingularem eruditionem adſpirat, modo vires corporis ipſum non deſtituant. Quod Buchio de mea commendatione tot humanitatis officia præſtas, habeo gratiam: & quanquam nulla mihi cum eo aut ejus patre notitia intercedit, rogo tamen, velis hunc tuum affectum erga ipſum tam diu continuare, quam diu mores ſuos tibi probat, in quo ipſum ſedulo laboraturum confido. Obſervationum politicarum decades poſteriores, quas te Typographo jam dediſſe ſcribis excudendas, rogo ne mihi invideas. Vale & Domino Scipioni, ſi adhuc, quod voveo, ſuperſtes eſt, Virdungo, aliis mei amantibus, plurimam a me ſalutem nuncia. Ephoro Domini Baronis Guldenſternii velim meis verbis gratias agas pro recte curatis literis. Iterum vale. Lubecæ III. Kal. Octob. A. 1616.

4. *Grute-*

4.

Gruterus Piccartos.

SAlve, Amicorum eximie. Ex ſupervacuo commendas mihi ſtudium collegæ tui, cui ecce hanc communicabis ſchedam & excuſabis, quod deſiderio ejus non plenius ſatisfacio. Dies & noctes vivo & dormio in hypocauſtis, impatiens qualiscunque frigoris. Emendabo culpam ſub ver, ſi vivo. Interim doleo valetudinem Tibi non eſſe ex animi ſententia; cum tu unicus fere hodie ſuperſis, qui ſuſtineas digne cœlum literarium. Nam qui Atlas ejus videri vult, imo adeo eapropter ſe jactat, J. Ph. Paræus, vere eſt Atlas in lapidem mutatus, cujus omnia ſcripta a minimo ad maximum reſipiunt furtum, plagium, inſcitiam, ignorantiam, inſolentiam, impudentiam, aſinitatem aut ſuilitatem meram. Hæc ideo ſcribo, quia is iterum, me diſſuadente, edere vult Plautum compoſitum cum MST. Pall. omnibus. In ſpecimine quidem ad me transmiſſo ita ſe inſulſe & pueriliter geſſerat, ut ei conſulerem, adhæreret editioni ſecundæ Taubmanni, cui ego ultimam impoſueram manum. At homo ad id ita fremere,

mere, ut præ ſe ferret, orbi toti ſe palam facturum, Taubmanni exemplar conſtare ex meris Gruteri Piſtorisque mangoniis. Inde conjicias de mente hominis, qui tamen præfatione Editionis primæ ita ſe meum fecit, atque ſi prodiiſſet e podice meo, aut ego ipſe ipſius. Nempe aſinus, cum pelle mea aliquam auctoritatem ſe nactum putat, mihi jam obvertit dentes. At vos, quæſo, ne patiamini tam temerariam petulantiam. Ego puerum nunquam amavi ob furta; Juvenem ob judicii ingeniique ſterilitatem ſcæviſſimam. Exinde me verbulo ne unquam dignatus, ni ante 3. menſes, quo volebat, ei addicerem calculum meum ſuper editione iterata Plauti, quod ut nolui peccare hinc iſtæ lacrymæ. Verum quo me rapit indignitas rei? Albergatum tuum neſcio quis habeat, egone an Typographus? Indica, qua ſit forma & veſte: tum & quæram inter meos repetamque ab Elſeveriis. Attica Meurſii majorem præferunt diligentiam, quam habitura ſint uſum: Laudo tamen quod omnia ſimul & ſemel intueri liceat. Vale & Salve cum tuis a tuiſſimo Grutero. 23. Febr. Anno 1618.

5.

Jan. Gruterus Mich. Piccarto.

NOn attonuit me tenor literarum tuarum; jam enim ante infortunium illud tuum indicarat amicus communis D. Remus, ſed tamen ob oculos mihi revocavit fragilitatem mortalium. Erant ad manum, quibus te ſolarer, Amice ſingularis, ſed cum eadem tibi æque cognita ſint, reſtat ſolum deducas in opus. Spero tamen illud malum ultro a ſe deſiturum. Neque enim illæ fluxiones continuo exedunt oculorum fibras venasque: quod uti ne faciant, vota facio ad Deum Opt. Max. cujus voluntati tanto promtius accedere debemus, quia eſt & Pater, eaque propter nihil liberis imponit, quod ſit eis noxium. Interim non negarim, ſtudia noſtra publica magnum paſſa damnum tuo illo caſu, quibus eras præſidium fere unum unicumque: Quo ægrius hoc ipſo tempore carere poteramus, quanto major ſubnaſcitur ſeges impudentium juvenum, quibus eſt pro ratione inſolens voluntas. Paræo certe omnibus modis parcere volebam, ſed id fieri non poterat, ſine

ſine inſigni labe nominis mei, ſub cujus umbra hactenus latuit; nuncque cum arbitratur, ſe eſſe extra tempeſtatem, eam hoſtiliter lacerat diripitque. Haud tamen cum eo mihi ullum erit certamen: tantum apparo editionem novam Taubmanni, in eo demonſtro ignorantiam ejus ac furorem nemini credibilem. Mihi nihil ibidem vindico. Prodibunt omnia, ut prius, ſub Taubmanni nomine, cujus & famam poſtumam vindico a roſtro immanis hujus ſuis. Valde male me habet, tot bonas horas occupare in mendoſiſſimis hujus centonibus. Sed cum cogito ipſius inſaniam; dum uni ſubvenio Plauto, ſubſidium & præſto cæteris Scriptoribus Claſſicis, quos omnes ordine percacare deſtinarat; certe Statium, Ovidium, Horatium alios. Nemo credit, quam vaſtos gerat ſpiritus Aſellus ille. Quotidie uxori ſuæ, cum vapulat, oggannit, ſe unum eſſe Palatinatus illuſtriſſimum, cui ingenium alterum fruſtra comparetur: notum eſſe ab ortu ſolis ad occaſum. Jam ſibi ſperat profeſſionem Steetinii ante menſem & amplius defuncti. Summa, ſi quærendus eſſet Aſinus Apuleji inverſus, ille daret. Imo jam nunc publice

exhibet. Quotidie exſpecto ejus editionem Plauti ſecundam, tot hederis laureisque obumbratam, uti terrorem omnibus immiſſura ſit, præterquam mihi, qui penitus cognitum habeo furunculi hujus ingenium ſterile, judicium ſcævum, mores perverſiſſimos. Vos tantum ſedete ac ſpectate Quirites. Epiſtolam tuam communicavi cum Gebhardo. Habes hocce ab eo reſponſum. De diſſertatiunculis tuis plurimum te amo. Sum in eadem, qua ſemper antea, ſententia: neque novi quem in Germania, qui ita in omnibus per omnia mecum conſpiret: Quanquam jam mihi feriæ perpetuæ. Serio ſane ſtudia non amplector, occupatior circa meam Floram, quæ jam in Hortulo meo renaſcitur, ac mille ſuppetit voluptates delaſſato in plus quam Augiæ ſtabulo Plautino. Suffocaſſet me dudum fœtor loci peſtilens, niſi illa eadem odore delicatiore recreaſſet nares ac cerebrum. Sic igitur vivitur. Hac hieme ſub veſperam tumor mihi oritur circa talos ſemper; ſed idem a ſe evaneſcit mane: adeo, ut nullam implorem medici opem, ſimilis Lingelshemio, qui chiragræ ac podagræ non novus cliens, nihil ſibi eſſe vult cum proſa-

proſapia Æſculapii. Utinam & tu, mi Piccarte, eam & ejurare poſſes. Ut mox id fiat, vota rurſus facio. Vale itaque & ſalve ab omnibus modis tuo Grutero hæc ſcribenti. 15. Mart. A. 1619. Heidelbergæ.

6.

Nobiliſſ. & Clariſſ. Viro

JOHANNI HENISIO JOHANNES FREDERICUS GRONOVIUS.

S. P. D.

NObiliſſime & Experientiſſime vir, cum iſtic ante biennium & quod excurrit eſſem, nihil divinabam minus, quam fore, ut hic ego inter Sirenas obhæreſcerem. Equidem jam ad agentem in domina quondam rerum urbe, Romæ inquam, perſcriptum erat, quid de me plane inſcio atque inſperante magiſtratus hujus urbis conſtituiſſet; ſed quod peregrinationis orbem ante præfinitum tempus abrumpere nollem, humaniſſimæ vocationis gratiam invitantibus feceram, at

nunc ἰαυτόματον ἡμῶν κάλλιον consuluisse μάλλον δὲ τὸν κρείττονα rebus experior, μεγάλη χάρις αὐτῷ. Nempe naufragantis etiamnum communis patriæ magnum e terra spectare laborem, non suave profecto, tutius tamen, nec cum succurrere nequeas, inhonestum videbatur. Neque unquam optavi quicquam magis, quam ut ambitione & variis curis solutus otium literale dulcibus ante omnia musis, unde κλεὸς ἔρχεσθαι ἀνθρώποισιν, elargiri & expensum ferre possem, sed etiam a quo cogitando longissime dudum afui, inveni hic, quam in individuam vitæ consuetudinem adsciscerem sociam, puellam tres & viginti tum annos natam parentibus præclaris (vivunt uterque in re sine ostentatione lauta) sancte casteque educatam, commodis admodum moribus, rei familiaris intelligentissimam, filo quoque corporis & forma, quæ in uxore satis placent. Qui cum vertentem jam annum (χάρις καὶ πάλιν χάρις τῷ κρείττονι) conjugium concors, jucundum, fœcundum. (nam ex a. d. VII. id Decembr. gratissimi infantis, τῷ πατρὶ, ὡς λέγουσι τὰ πάντα ἐμφερὲς, ἄττα audio) multarum mole-

moleſtiarum levamen, & ſine ullis ſtudiorum impedimentis exigo. Accipe rei hujus indicium, fœtum hunc ingenii, qui inter primos calores genialis lecti & caſtæ veneris per vigilias natus eſt. Eſt illud quidem argumentum tractatum a multis & ſummis Viris, vix abſtines fortaſſe, quin ad primum conſpectum exclames: Itane poſt tot Homeros etiam Chœrilus Iliadem: Sed ſuſtine paullisper & rem cognoſce, non omnem operam ſpero luſiſſe nos putabis. Accepi Abexiados exemplar, quod per neſcio quem miſiſti, curatum ad me Lugduno Batavorum, & gratias ingentes ago. Utinam nunc Plautinas illas collationes, quas a manu Claravallenſis illius Comitis penes te vidi, volvere atque revolvere mihi liceret; Non id ſine fructu literarum futurum ſpondere auſim, & niſi moleſtum eſt, promiſſi te admonitum velim, quod cum, gloria tua conjunctum erit. Vel hic libellus, quem mitto, teſtabitur tibi, candidiſſimum me eſſe in commemorandis illis, quorum beneficio profeci. Vale & ſalve cum Tuis, ingens Germaniæ de-

cus & noſtri memor vive. Scripſi Daventriæ pridie biſſexti CIↃ IↃC XLIV.

Nobiliſſimo Magnifico & Experientiſſimo viro Dn. JOHANNI HENISIO Medicinæ D. Comiti Palatino Cæſareo Equiti D. Marci Sereniſſ. Electoris Bavariæ & Reipublicæ Auguſtanæ Medico ibidemque Collegii Med. Decano. Domino & Amico obſervando.

Auguſtam Vindelicorum.

7. Pra-

7.

Præſtantiſſimo, Celeberrimo Viro

JOH. CHRISTOPHORO WAGENSEILIO

S. D.

GISBERTVS CVPERVS.

PLurimum Tibi debeo, quod non ſolum humaniſſimas, verum etiam eruditiſſimas ad me literas dederis d. IX. Cal. Jan. proximarum; atque uti illæ mihi, quia a Te proficiſcebantur, erant acceptiſſimæ, ita ex earum lectione exquiſitam voluptatem & ſingularem fructum percepi. Quid enim mihi jucundius evenire poteſt, quam negotia ejusmodi oblectamentis diſtinguere, & refocillare eruditis avocamentis laſſum ſæpe a Reipubl. adminiſtratione ſpiritum? Plurimum quapropter Tibi debeo, quod petitioni meæ ſatisfeceris, & miſeris, quibus oblectamentis & ludis Judæi ſubinde uſi ſint. *Ludere*, quod 2. Sam. II. 14. legitur, mihi placet mirifice, quia Latini arma, quibus in ſimulatis præliis utebantur, vocabant *arma luſoria*, iisque opponebant *decretoria*, quia gladiatores *ludere & deludere* dicuntur, quia *ludus* eſt locus, in quo

iidem pugnabant, & *luſorium*, itidem locus, in quo cum beſtiis, vel etiam inter ſeſe decertabant. Sed cum apud Samuelem XXIV. non modo ſibi invicem capita apprehenderint; verum etiam ſeſe occiderint, videri poſſet non ſimulatum, ſed verum illud certamen fuiſſe, & tunc inquirendum foret, num vox, quæ ibi per *ludere* redditur, Judæis de pugna vel duello uſurpetur. Jobi librum ad inſtar Dramatis fuiſſe compoſitum, multi exiſtimant; ſed licet id concedam, tamen non puto, inde ſequi, *ludos ſcenicos* Judæis in uſu fuiſſe ab illo tempore, quo hiſtoria hæc fuit literis mandata. Quin etiam non credo, poſterioribus temporibus gentem eam oblectamenta hæc introduxiſſe in ſuam Rempublicam. Et Ezechiel Poëta, ſi ante D. N. I. C. vixit, imitatus eſt Græcos in ſcribendo tantum, qui poſt Alexandrum Magnum ſeſe in Syriam & Judæam effuderant, & quorum Poëtæ ibi legebantur. Quin veræ etiam Hiſtoriæ protaſin, epiſtaſin & cataſtrophen ſæpe habent; notumque ſatis eſt ſuperque, orientales Hiſtoricos ſæpe luxuriari, nec obſervare leges, quas Græci & Romani in rerum geſtarum enarratione ſibi præſcripſerunt. Et magnum argumentum ex Prophetarum ſilentio

tio peti poſſe mihi videtur, *Ludos* ſcenicos incognitos fuiſſe Judæis; nam ut illi vitia populi & peccata acriter perſtringunt, ita ne ſpectaculorum quidem vel Theatrorum faciunt mentionem, id quod feciſſent procul dubio mea ex ſententia, ſi voluptatum his irritamentis populus operam dediſſet. Difficile dictu eſt, quid ſibi velit Judæo-Cremnus, quem ludum ludere Italorum pueros, narrat nobis Bonifacius: an deſcendit ultima vox a Græco κρημνὸς, quia Judæi in mare præcipites erant dati? Memini, me puerum ejusmodi ludum etiam luſiſſe, ſed non memini, aliquod illi apud Noſtrates nomen eſſe. Ecce Tibi diſſertationem de originibus Babylonicis ſeptimam, quia novam explicationem eſt complexus Vir Doctiſſimus, inter quem & Francium, Profeſſorem Amſtelodamenſem, nunc geritur bellum Grammaticale, idque tantis animorum motibus & ingenii viribus, tanquam de Reipublicæ Literariæ, imo Patriæ ſalute ageretur. Quod autem conſtituiſti nomini meo dedicare libellum de Germanis phonaſcis, uti extet Tuæ in me obſervantiæ monumentum, agnoſco humanitatem & benevolentiam erga me Tuam. Et quanquam tali me vix digner honore, injuriam.

quo

que quasi facias tot in Germania Illustribus & eruditis viris, quibus extraneum præponis, tamen Tibi hanc veniam, quia ita vis, do libens, lubens; sed vide, ne Tibi invidiam, cujus motus longe est acerrimus, & offensionem apud populares & Cives Tuos excites. Vale, Vir Præstantissime. Deventriæ $\frac{11}{21}$. Apr. An. 96.

8.

Joannes Henricus Boeclerus

Suo

Immanueli Schorero S. P. D.

PEtiisti a me, ut priusquam hinc in Italiam discederes, consilium Tibi meum de ineunda in posterum studiorum Tuorum ratione aperirem, id est, auderem aliquid, quod manifesta absurditatis confessione prudentiorum in me judicia justissimamque concitaret indignationem. Quis enim sapientia Italica & acribus ingeniis quicquam melius possit? Non inferendæ sunt Athenis nocluæ: nec bene Tu, dum ad fontes iter meditaris, consectaris rivulos. Sed nimirum, quod exigere a me jure potes, vel cum invidia mea & periculo famæ est præstandum. Nec aliunde mihi scribendi initium, quam

ab

ab ipſis omnis ſapientiæ incunabulis, a Linguarum inquam ſtudio: Memoria adhuc teneo, qua animi contentione, qua induſtria pulcherrimo labori pridem fueris deditus, quam Te Curtius tuus (hunc enim velut auſpicem eloquentiæ delegeras) quam Te Græca etiam facundia affecerit, totumque velut occuparit; ſed enim interventu diutini graviſſimique morbi in ipſo ſtadio retentus ingentem etiam prioris diligentiæ jacturam paſſus es, quam, quod reſarcire jam ſtrenue cogitas, recte illud quidem atque ordine facis. Eſt enim eloquentia homini in Rep. verſaturo (qualem Te ſperamus) inſtrumentum nimis quam neceſſarium & utile. Quæris igitur, quo facillime modo eam compares. Varia pridem noſti ea de re judicia. Nec deſunt, qui ſolum & unicum Ciceronem ſuadeant adeundum. Recto illi quidem & præclaro de Patre omnis eloquentiæ judicio uſi, ſed vereor, ut pro omnibus ingeniis ſatis prudenter. Experimentis enim conſtitit, pauciſſimos ad imitationem ejus non ineptam usquequaque potuiſſe aſſurgere; Cujus rei cauſas jam non inquiro. Tibi compendio opus eſt, nec circumducendus ulla prolixitate. Igitur Livium cum maxime ſuaſerim, cujus tanta

eſt

eſt amœnitas, tanta majeſtas, ut adoleſcentum animos & capiat facillime & imbuat maturrime. Citius profecto, quam vel Ciceroniana perfectio, vel Curtiana concinnitas, vel Salluſtiana numeroſitas. Igitur hunc conſtanter tracta, evolve, repete: Sed, quod aſſidue Tibi ingerendum eſt, ſemper adjuncto ſcribendi exercitio: Singulis diebus aliquid verte, diffunde, contrahe, in aliam orationis faciem commuta, explica, materiam ſparſim occurrentem, aut ſub involucris perſonarum actionumque latentem collige, efforma, ad uſum apta. Negotia Reipubl. tractantes Magiſtratus aut diſſerentes de egregio publico in Curia Patres legis, accinge mentem, & calamum illuc verte, ad hujus ſeculi faciem applica, denique da operam, ut de rebus omnibus ἐν ἔιδει πράξεως loqui & convenientiſſima rebus oratione diſcas uti. Nunquam Tibi deerit hic Ductor, & niſi hic aliud egeris, affirmo Tibi, trahet rapietque velut amica quadam vi in rerum præclariſſimarum adyta. Cave autem, Patavinitatis maximo autori objectæ te decipiat labecula, quaſi tantus non eſſet, quantum Tibi merito prædico. Scis enim, quid de intimioribus iſtis ſummorum Criticorum judiciis in reliquis etiam ſcriptoribus

ptoribus ſæpe monuerim. Atque hic Tibi fundus linguæ eſto, hoc melior, quo Te validius rerum, quas aliquando tractaturus ſperares, egregia cognitione imbuet, accidetque Tibi, quod in ſole ambulantibus, ignorans colorem duces & ſapientiam hauries. Nihil attexo hic de reliquis, qui eloquentiam abſolvunt, autoribus; nam & aliunde iſta petuntur, nec ignotæ cujusque laudes ſunt ac indoles. Niſi quod ἀβλεψία ſeculi neceſſariam facit admonitionem de Terentio. Venuſtiſſimæ abſolutiſſimæque Latinitatis autor, nunquam ſatis laudatus eſt, nec fruſtra a Joſepho Scaligero jam ſene tantopere deamatus. Hujus artem & ingenium ſi penetrare poteris (& viam monſtrabit vel una Diſſertatione, quam præfixit huic ſcriptori Heinſius) multum Te in politiori literatura profeciſſe exiſtima. In Græca Eruditione, unde initium Tibi faciendum ſit, nonnullam poſſit forſan dubitationem habere: Verum cum ad vitam occupatam & maturos profectus Tibi oppido ſit reſpiciendum, non video, quid ea ratione commodius poſſit excogitari Berneggeriano conſilio, qui propterea ad Thucydidem Te cœterosque auditores magna dexteritate deduxit, ut & maſculæ eloquentiæ radios

mature

mature ferre, & rerum ſimul iſtis ignibus ingenium roborare & ad magna traducere aſſueſceres. Ne dubito, ſi perpendes gnaviter, quod præeunte tanto Viro incepiſti, magnas ei olim gratias debebis, & ſi Te bene novi, habebis. Jam in ipſo ſapientiæ ſtudio ante omnia habenda eſt ratio vitæ rerumque humanarum, omnisque adeo moralis diſciplinæ. Cumque conſtet, omnem ſcientiam duplici præcipue modo comparari; primo quidem artis methodo & ordine; tum ſapientum, qui ex artis principiis ſcripſerunt, jam veluti practicis monumentis; Igitur artem quidem morum erudite maſculeque complexus eſt Ariſtoteles, uſum autem ex Latinis optime oſtendunt Cicero in officiis & pluribus ſcriptis, Seneca, (quem præcipue tibi commendo) Horatius, & quem modo laudavi, Terentius, aliique (præcipuos enim tantum nomino) inter Græcos autem Plutarchus & Iſocrates excellunt. De Horatio valde velim, ut contingeret Tibi ſapientiam Ejus Viri paulo propius intueri, ſed vix eſt, ut absque fideli interprete ſperes. Quanquam multum lucis Tibi Heinſiani de Satyra Horatiana Libri afferent. In Politico ſtudio nunquam, ſi me audis, omiſeris Ariſtotelis Politica,

Opus

Opus nullo pretio ſatis æſtimandum & in quo nervos ingenii ſui oſtendit ὁ παμμέγας ille. Difficultas maxima latet, fateor, ſed quam iterum divina illa Phœnicis Belgici paraphraſis diſcutiet ac extricabit. Prævi & ipſe, qua potui viam amicis quibusdam integra diſſertatione, in qua ad λεπτολογίαν usque multa excuſſi. Altera & præcipua hujus ſtudii pars ab Hiſtoricis maxime pendet. Quorum Catalogum ſelectiorem Lipſius Tibi exhibet, & ſequutus eſt eam ſeriem cum ſucceſſu maximo Forſtnerus, elegans ille notarum Cornelianarum artifex. Illud potioris eſt cogitationis, quomodo ad uſum eos aptes pariter atque legas; qua in re iſta, quam dedi Tibi, ſcriptiuncula, fallor, aut Tibi non inutilis erit. Illud non dubito, Tacitum Tibi fontem principemque omnis hujus ſtudii futurum. Et laborarunt cum Lipſio multi alii in adytis iſtis pandendis, molliendisque abruptis. Si per tempus licuiſſet, deſcribendam famulo Tuo tradidiſſem iſtam, quam hoc de argumento habui oratiunculam, in qua ſpecialius paulo, & per exempla multa executus ſum. Cæteros ad Civilem Prudentiam qui faciunt ſcriptores Colerus Tibi deſignabit in aurea illa ad Generoſum Juvenem de Zelanka Epiſtola,

ſtola, cujus judicia valde recta exiſtimo. Illud obiter moneo, quidquid in laudandis Epiſtolis Tullii ad Atticum & Q. Fratrem ille habet, vero minus eſt. Omnia πολιτικωτάτων πραγμάτων κρύφια magnus Vir epiſtolari ſimplicitate clauſit, aureum baculum in comeo cavato diceres. Sed magnam rerum Romanarum notitiam requirunt; quam & ubique apud lectores augent. In Jure Belli & Pacis cave indiligens ſis. Perpetuo tecum ſit Hugo Grotius, mirabili artificio rem totam complexus. Cogita, has vere Senatorias artes eſſe, veram ſcientiam, qua ingenia ad magnæ futuræ cultum excitantur. Reliquum Jus absque moroſa & inutili Commentariorum mole ex ipſo Textu petendum eſt. Ducat Te Briſſonius, Tigelius & Cujacius introducant. Jacobi quoque Gothofredi rectam in hoc ſtudio ſapientiam mirari diſce. Quanquam hoc absque præjudicio dictum velim; & longe felicius Tibi hic, ut & in cæteris viam præibunt Itali. De recentioribus in omni ſtudio autoribus ita cenſeo; eſſe omnino legendos ut & imitationem ex antiquis expreſſam videamus clarius & hauriamus penitius; tum ut noſtrorum temporum faciem dignoſcamus rectius, & ad ea promptius componamur.

mur. Quis enim melius tempus, quam in Heinsianis monumentis collocet? Orationes Ejus dicendi vivendique artem continent: Historia Tacitum regenerat, an superat (scio aliis aliter videri, nec moveor admodum istis rationibus, legat, qui capax est, fructus laudem autori, mihi Consilii reddet). Poësis ejus cum omni antiquitate certat, quam & non raro vincit. Præcipue Asini laudem cave ex Titulo æstimes, id est, ludicram rem credas. Omnia Dominationis arcana & progressus, & conversionum causas inde cognosces, præstantissima de potissimis quibusque inter homines institutis judicia videbis, & quæ mora est referre plurima utilissimaque. Barclaji Argenis vel ideo chara Tibi esse debet & accepta, quod ad pleniorem ejus intelligentiam non parum Tibi subsidii Italia præbet. In Satyrico excellit Icon animorum, opus plane Titulum suum implens, quodque veluti fons quidam & clavis multarum Politicarum rerum merito potest appellari. Non eo in laudes cœterorum, quos in variis sapientiæ generibus claros fecit nostra aut superiores ætates. Ex Italis, Gallis, Hispanis, quos deligas partim publica Tibi Famæ vox, partim periti harum rerum in Italia Viri monstrabunt. De tempore nihil de-

finio. Unum uno tempore tractandum, graviora facilioribus aliis (modo deſultoria levitas & περιεργία abſit) interdum diſpungenda. Hæc cum ſimilibus paſſim traduntur. Tempora converſationis & convictus ſingulis diebus diſpoſita habe atque ordinata. Delige ex variis vitæ generibus viros doctos, peritos, bonos, ad eos, ut Tibi frequens aditus pateat, etiam atque etiam cura. Hodie ab hoc Doctrinam hauri, eras ab illo prudentiam, & ſic deinceps. Sed enim noſti, quis fructus peregrinationum ſit & finis. Magnos Viros ſtudioſiſſime, cum cauta tamen modeſtia, aſſectare. Hi Te ad omnem experientiam liberaliſſima admiſſione promovebunt. Verum enimvero non diffido ingenio Tuo & honeſtis deſideriis. Nec jam plura Tua feſtinatio permittit, quam & mihi temporis arctiſſimi neceſſitas impoſuit. Quæ res, ut veniam confuſæ ſcriptioni impetret, vehementer oro. Quod ſupereſt felicia itineri Tuo, ſatis periculoſo, fata, Deumque protectorem precor, & quin impoſterum etiam amicitiam noſtram exculturus ſis, nullus dubito. Vale & Pietatem diligentiſſime accura ubique ac tene, ita Te ſalus ſemper amet & felicitas.

XI. *Ad-*

XI.

Additamenta quædam & notamina.

AD Part. I. p. 96. ſq. Lucas Holſtenius in Catalogo Codicum rariſſimorum Bibliothecæ Mediceæ, quem inter Selecta Hiſtor. Literaria P. I. Celeb. Lilienthalius edidit p. 113. Plotini Operum optimæ notæ codicem in ea adſervari memorat, illoque exemplari in vertendo iſthoc authore Marſilium Ficinum uſum eſſe.

Ad l. c. Petrus Lambecius Commentarium Ficini in Plotinum ampliſſimum doctiſſimumque nominat. vid. Jac. Frid. Reimanni Bibliothecam Acroamaticam p. 506.

Ad pag. 107. Jacobus Tollius in Epiſtolis Itinerariis p. 9. *Oſtenſi quoque mihi* (in Bibliotheca Guelpherbitana) *Codices aliquot MSS. prima Corviniana Budenſis ſpolia, ubi ea urbs vel a Solymanno, vel a Cæſareanis occupata fuit, bonoque fato ab Auguſto Duce redemta atque hic recondita. In his Marſilii Ficini ad Matthiam Corvinum Epiſtolæ, & opuſcula permulta alia ſi non edita, digna viſa, quæ ederentur; Fontii item Notæ in*

Perſium, Orationes, Carmina, & alia. Serico raſo rubro involuti, & intus imaginibus elegantiſſimis Regis Matthiæ, aliorumque illuſtrium Virorum ipſiusque Ficini & Fontii exornati codices magnificentiam vere regiam præ ſe ferunt, & ſpectatores ipſa ſtatim ſui contemplatione in admirationem rapiunt. De Fontii Operibus vide epiſtolam Sereniſſimi Ducis Auguſti, quam P. III. p. 251. exhibui.

Ad pag. 111. ſqq. De Ficini apparitione poſt mortem vid. Bailius in Diction. Artic. *Bonfadius* (E) f. 596. ſq. quem locum debeo Celeberrimis Viris, qui Acta Eruditorum Germanico idiomate non ſine literati Orbis plauſu edunt. Ita autem Bailius inter cætera : *C'eſt dommage, que Michel Mercat n'en ait point laiſſé une Atteſtation juridique ſous ſerment, & enregitrée dans les Archives de Florence. Il eut grand tort de ne le pas faire.*

Ad p. 114. ſqq. De Ficino Jo. Henr. Bœclerus in Bibliographia Critica, cum egregiis acceſſionibus a Celeb. Jo. Gottl. Krauſe Lipſiæ A. 1715. publicata, p. 603. ita judicat : *Is inſtaurator fuit philoſophiæ Platonicæ, in qua etiam fuit probe verſatus, ut ex notis ejus apparet. Ingenium ejus inſigne*

ſigne eſt; eruditio vero non reſpondet; adeoque cum grano ſalis legendus eſt.

Ad Part. II. p. 327. Vidi nuper in ſplendidiſſimi Monaſterii Ottoburani Ord. S. Benedicti Bibliotheca duos libros haud paulo ante iſtud tempus, quo primum inventa creditur ars typographica, ſi diis placet, excuſos: *Biblia ſcilicet Latina* in octavi ordinis forma, quorum in calce ea *Lugduni in officina Jacobi Soconi A. D. decimo quinto ſupra milleſimum, duodecimo Kal. Octobris* impreſſa eſſe dicuntur; craſſiſſimo errore typographico, niſi forte per literam *D. annus quingenteſimus* indigitetur: nec non *Petrarchæ Bucolica* in folio, quæ in fine *per Marcum Horigono de Venetiis A. MCCCCXVI. die VII. Jul.* typis exſcripta eſſe perhibentur.

Ad pag. 330. Bibliorum A. 1462. Moguntiæ per Fuſtum & Schoifferum editorum exemplar non ita pridem oculis uſurpare mihi licuit in Bibliotheca Carthuſiæ Buxheimenſis, nobis vicinæ.

Ad pag. 337. Quanquam elogiorum Aldi Manutii ubique plena ſunt omnia, lubet tamen heic unum, quod inſtar omnium eſſe poterit, Octavii Ferrarii (Opp. varior. Tom. I. p. 433.) ex peculiari, quo ejus in

literas merita proſequor, affectu ſubjicere. *Quantum Veneta civitati ob libertatis atque optimi regiminis exemplum Italia debet, tantum non Veneta modo, ſed univerſa res literaria Manutiorum domui ſe debere profitetur. Quippe Aldus ſenior, Romani generis, cum ſe Venetias contuliſſet, typographicæ arti, qua non humanitas modo & memoria, ſed hominum immortalitas conſtat, rudi adhuc atque imperfectæ ſummam manum impoſuit, & incredibili labore atque inuſitata diligentia innumeros Græcos ac Latinos ſcriptores, aut nondum editos ac ſitu putres, blattarum ac tinearum epulas, e tenebris eruit, ac veluti e pollinctorum faſciis expedivit; aut rudi opere, ac veluti ſoloci ſilo impreſſos nova & exquiſita characterum forma recudit, & cum ſqualorem vetuſtatis, tum mendarum injurias feliciter adſterſit: doctus ipſe imprimis, nec vulgaribus literis inſtructus (neque aliter fieri poterat,) ut grammaticæ inſtitutiones, & præfixæ editioni operum præfationes teſtantur, Aſulani ſoceri & doctorum virorum, quos domi, nullis ſumtibus parcens, in id artificium alebat, opera adjutus, atque ita inenarrabili beneficio infinitis voluminibus orbem replevit, & reſtitutarum a Venetis per Europam literarum præcipuum inſtrumentum fuit,*

fuit, dignus, de quo nullæ unquam literæ obticeſcant.

Ad pag. 344. Chriſt. Gryphius de Scriptoribus Gall. Seculi XVII. (in Iſagoge in notitiam Scriptorum Hiſtoriæ Gallicæ a D. J. A. Fabricio Hamburgi A. 1708. edita) p. 48. ita de Naudæi libro: *Rariſſimus ſane eſt liber iſte, qui ſub Maſcurati titulo lingua Gallica Pariſiis An.* 1650. 4. *prodiit. Enimvero poſtquam diu fruſtra a me quæſitus fuiſſet, & vix ulla ſpes ſupereſſet ejus potiundi, tandem cum Bibliotheca Conringiana ſub haſta diſtraberetur, ſatagente id nobiliſſimo quondam fautore noſtro Friderico Ben. Carpzovio huc delatus, & Bibliothecæ Illuſtris Patroni (Logavius is eſt Baro) a me illatus fuit, cum tamen prius ob libri pretium & raritatem integrum mihi deſcribi voluiſſem. Auget autem codicis dignitatem, quod ipſe Naudæus in fronte libri manu ſua teſtatur, ſe illum Conringio amico ſummo donum miſiſſe: nec præter exemplum, quod in Bibliotheca Carpzoviana adhuc extat, ullum credo in Germania noſtra inveniri. Nec tamen adhuc expleta eſt ſitis mea, nam ſi vera narrat Paulus Colomeſius in opuſculis Ultrajecti A.* 1669. *editis p.* 120. *Guido Patinus librorum helluo Lutetiæ ipſi aliam*

oſtendit editionem, longe auctiorem, quippe quæ 717. *paginis conſtet, neque aliter hanc poſteriorem a priori diſtingui poſſe, monet Colomeſius. At ego quidem omnia hucusque egi, ut & illius, ſi alicubi exſtat, compos fierem, verum ſpes iſta adhuc decollavit. Interim tamen ferme ambigo, an veritati litaverit Colomeſius, cum videam, elegantiſſimum & ſtupendæ lectionis virum Ægidium Menagium in Originibus Gallicis non alia quam noſtra, uſum fuiſſe editione, quem tamen profecto nihil fugiebat, quicquid rariorum in Gallia librorum uſpiam prodierat.* Iſtud vero rariſſimi hujus libri exemplar, quo Gryphius uſus eſt, cum reliquis cimeliis literariis, a Balthaſare Friderico a Logau, Barone Sileſio collectis, in inſtructiſſimam Bibliothecam Principalem Vinarienſem migravit.

Ad p. 349. ſeqq. Triplex exemplum cum Librorum Serveti de Trinitatis erroribus, tum Dialogorum de Trinitate in Bibliotheca Celeb. Georgii Serpilii, Senioris, dum viveret, Ratisbonenſis, extitiſſe, ex ejus Catalogo didici.

Ad p. 367. Eandem Bibliothecam ornabat quoque rariſſima illa editio Taxæ Pœni-

Pœnitentiariæ Pariſienſis, quam tanti Voëtius æſtimavit.

Ad pag. 369. Hujusmodi Canones pœnitentiales, ſed paululum diverſi ab iis, quorum ſpecimen exhibuimus, ex Statutis Synodalibus Joannis, Adminiſtratoris Eccleſiæ Ratisbonenſis, Bambergæ A. 1512. excuſis, inſerti ſunt Eliæ Ehingeri Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Sec. XV. p. 395. qui liber multa rariora & ſcitu digniſſima continet.

Ad pag. 384. In Catalogo Bibliothecæ Du Boiſianæ, quæ nunc Haagæ Comitum ſub haſta divenditur, Tom. I. p. 237. non ea duntaxat editio Antonianæ Margaritæ, cujus Bailius mentionem facit, memoratur, ſed & alia Methymnæ Duelli A. 1558. in fol. impreſſa h. t. *Antoniana Margarita, ſive nova veraque medicina experimentis & evidentibus rationibus comprobata.* Niſi enim fallor, hic liber cum eò, de quo ſermonem feci, unus eſt idemque.

Ad pag. 421. Quæ de raritate Bibliorum Hebraicorum, ſeculo XV. excuſorum, dixi, inde firmari poſſunt, quod Joannes Streler (cujus P. I. pag. 55. ſq. memini) a Reuchlino, Patrono ſuo & Evergeta impenſe

ſe rogatus, ut aliquod iſtiusmodi exemplar ipſi curaret, ex Florentia, quo tum bonæ literæ & libri veluti in portum confugerant, A. MCCCCXCI. reſcripſerit, nullum venale inveſtigare ſe potuiſſe, niſi unicum Bononiæ, aliquot tamen quaternionibus mancum. vide Clarorum Virorum Epiſtolas ad Jo. Reuchlinum miſſas, & Tubingæ A. MDXIIII. in 4. editas plag. *b* 11, quæ tamen & ipſæ rariores ſunt.

Ad pag. 512. Unum vel alterum eorum epigrammatum, quæ pro ineditis habui, legiſſe interim alicubi, jam typis exſcriptum, Joannique Stigelio tributum, memini, ſed locus nunc haud ſuccurrit. In ipſis tamen Stigelii Poëmatibus, quæ in octo libros diſtributa Jenæ A. 1566. - 1569. prodierunt, nullum eorum invenire mihi licuit. Fortaſſis autem mei me fefellerunt oculi.

Ad part. III. p. 15. Iis, quæ inferius in nota (o) dixi, adjici ſequentia poſſunt. Extat etiam Godofredi de Vicerne Paraphraſis rhythmica Bibliorum V. &. N. T. temporibus Friderici Imp. ſcripta, ſed nondum edita, quam poſſedit olim Jo. Heringius, ejusque ſpecimina dedit in Tr. de Molendinis eorumque jure pag. 40. ac Mantiſſa

de

de Jure Burgorum p. 14. ſq. vid. Jo. Henr. von Seelen Memoriam Stadenianam pag. 208. & 408.

Ad p. 39. Inter Bibliothecæ Krafftianæ ſermones in Concilio Conſtantienſi habitos triginta tres ſunt, quos in Herm. von der Hardt Hiſtoria Conc. Conſtant. ejusque Hiſtoria literaria Reformationis fruſtra quæras.

Ad pag. 88. De Benjaminis Itinerario, Beckiique verſione & notis vid. Meelfuhr. Acceſſ. ad Almelovenium. p. 5.

Ad pag. 124. Poſt ultimæ lineæ verba: *Nephitomon Lactantii Firmiani incipit*, adde ſequentia, typothetæ vitio omiſſa: *In ejus calce hæc leguntur: Lactantii Firmiani in Ephytomon tractatus finit.* Ubi editor per *Ephytomon* authorem quendam indigitare voluiſſe videtur.

Ad pag. 141. In hac igitur editione ſatis antiqua, & inter primas referenda liber de imitatione Chriſti, Thomæ a Kempis tribuitur: pro quo nuperrime etiam non infeliciter pugnavit P. Euſebius Amort in *Informatione de ſtatu totius controverſiæ, quæ de authore libelli de Imitatione Chriſti inter Thomæ Kempenſis Canonici Regul. & Joan. Gerſonis Ord. S. Bened. patronos jam a centum annis*

nis agitatur. Prodiit ea Augustæ Vindelicorum hoc ipso anno in forma octipertita, lectuque dignissima est.

Ad pag. 155. De Vecchieti Opere conf. etiam *Verzeichnuſs rarer Bücher.* Part. I.

Ad pag. 234. In linea ultima dele omnino verba: *Sive componendisque.*

Ad pag. 247. Hæc M. Welseri Epistola ad Eliam Ehingerum data est.

Ad Part. IV. pag. 389. Spalatinus etiam reliquit Annales Reformationis, Germanico idiomate scriptos, ac B. Seckendorfio aliquoties *historiæ* MS. nomine laudatos, quos integros cum aliis hujusce generis Lipsiæ A. 1718. in 8. edidit Celeb. E. S. Cypriani.

Cæterum Archiepiscopi & Electoris Moguntini literas ex bonæ fidei apographo desumtas esse scito.

Notamen ad p. 482. N. VII. Not. (a) mentio quidem facta est duorum rariorum opusculorum, sed unum certas ob circumstantias in præsentiarum omissum est.

INDEX

INDEX RERVM

A.

Æ diphthongi figura jam Ludovici Germanici ævo conjunctim, & notula ſubjecta exprimi conſuevit. p. 10
Altenburgi veteris publicæ pœnitentiæ forma quando introducta? 416
Andreæ (Jo. Val.) Epiſtola. 275. ſcripta deperdita. 280
Angli fervide olim Evangelium deſiderarunt. 431
Angliæ Regis Eduardi Mandata in cauſa religionis promulgata. 482
Antonianæ Margaritæ editiones. 559
Aræ & altaria an priſcæ Eccleſiæ fuerint? 248
Araneam absque noxa in ſacro calice imbibiſſe fertur Franciſcus. 164
Aretini (Leon.) Invectiva in Carolum de Malateſtis ob ſtatuam Maronis ab eo dirutam. 225
Ariſtotelis Politica laudatur. 548

Asini laus, ab Heinsio conscripta, optimæ frugis libellus. 551
Athanasii Interpretationem Psalmorum edere voluit Elias Ehingerus. 258
Augusti Ducis Brunsw. & Luneb. Epistolæ. 251. elogium. 252
Augustiniani Witteberg. privatas missas celebrare renuunt. 395

B.

de BArclaji Argenide & Satyrico judicium Bœcleri. 551
Bernardus Carmelita martyr. 417
Biblia in vernaculam transferendi consuetudo antiqua 22
Biblia Germanica ante Lutheri versionem typis excusa rariora. 28
Biblia Hebraica seculo XV. impressa rarissime obvia. 559
Biblia Helvetica Froschoveriana rariora. 31
Biblici Codices MSS. Bibliothecæ Krafftianæ. 5. ejusdem rariores editiones Bibliorum. 24
Bibliorum Latinorum Sixti V. historia. 433
Bibliorum Lat. a Fusto & Schoiffero excusorum exemplum possidet Carthusia Buxheimensis. 555

Bibliothecæ Perill. Dn. Raymundi de Krafft Memorabilia. 1
Bibliothecæ Mediceæ MSSta Orientalia Aſtron. Med. Hiſt. Philoſ. 173
Bibliothecarum celebriorum notitia utilis. 1
Bœcleri (J. H.) Epiſtola. 544
Buſenreiter (Jo.) Reformatio papatus juxta confeſſionem Auguſtanam. 256

C.

Canones pœnitentiales. 559
Carpzovii (Bened. Dav.) Epiſtolæ. 281
Caſtellanus (Jo.) martyr. 362
Caſtenpaur (Caſp.) confeſſor. 411
Catalogi Librorum Orient. Bibliothecæ Mediceæ. 172
Chriſtiernus, Daniæ Rex, Lutheri conciones cupide audivit. 409
Chronologici Martyres, Vecchiettus & Samuel Sarſa. 158
Coctus (Annemundus). 333
Concilii Conſtantienſis tempore quænam fuerit Eccleſiæ facies? 40
Conformitates vitæ Franciſci cum Chriſto 160
in Conradinum Sueviæ ducem Inſcriptio Memmingenſis. 14
Cuperi (Gisberti) Epiſtola. 541

D.

DAlburgius (Jo. Camerarius) literarum Patronus. 82
Dornavii (C.) Epiſtola. 524
Dorniberg (Thom.) Memmingenſis. 142

E.

EDuardi Angliæ Regis Mandata lin cauſa religionis. 482
Epiſtolæ quædam ineditæ. 241. 334. 353. 501. 507. 522
Euchariſtiæ uſum ſub utraque nonnullis etiam laicis conceſſit Pius IV. 501. pro iisdem expetiit quoque a Pontifice Jo. Philippus Archiep. & Elect. Mogunt. 507
Exorciſmus literarius. 101

F.

FAbri (Felicis) Evagatorium. 51. itinerarium carmine redditum. 103
Ferdinandus I. pro obtinenda Euchariſtia ſub utraque ad Pium IV. ſcripſit. 502
Ficini (Marſilii) Comment. in Plotinum laudatur 553. de ejus apparitione poſt mortem judicium Bælii 554. de ipſo quid ſenſerit Bœclerus? ibid.

Fontii (Barth.) Opuſcula edita auſpiciis Auguſti Ducis Brunſv. 251
Franciſcani Ordinis privilegia. 374
Franciſcanorum Alcoran oder Eulenſpiegel. 162
Friderici Elect. Saxon. Mors & elogium 420
Frundsſpergii (Melch.) elogium & epitaphium. 125
Juſtus (Joan.) 303

G.

GAſſarus (Ach. Pirm.) infelix maritus. 20
Geneſeos Caput I. inexhauſtus omnium ſcientiarum oceanus. 167
Germani ſoli Andr. Schotti tempore Græca tractarunt atque evulgarunt. 259
de Graſſis (Paris) ægerrime tulit editionem librorum de ritibus Pontif. 145. ſcripſit de ceremoniis Cardinalium. 149
ex Gregoræ (Nicephori) panegyrico Conſtantini M. excerpta. 89
Gronovii (Jo. Frid.) Epiſtola 537
Gruteri Epiſtolæ. 532
Gutenbergius (Jo.) & Gensfleiſch unus idemque. 303
Gutmanni (Æg.) Offenbahrung Göttlicher Majeſtät. 167

H.

HAinhoferi (Phil.) Elogium. 266
Hainzel (Jo. Petri) a Degerſtain elogium & epitaphium. 273
Hartmotus, Abbas S. Galli, Bibliothecam ſui monaſterii adauxit. 8
Heinſii (Dan.) Epiſtola. 522. laus. 551
Helvetiorum fœderum & pactorum tabulæ. 58
Herbenus (Matthæus). 82
ab Hohenems (Rudolphus) metaphraſin rhythmicam librorum hiſtoricorum V. T. in lingua Teutonica ſcripſit. 12

I.

de INfantibus quibusdam omnia. 461
de Joanna Papiſſa locus. 74
Joannis Philippi Archiep. & Elect. Mogunt. Epiſtola ad Pontif. Max. de uſu calicis ſacri laicis quoque nonnullis concedendo. 507
Judæi Ratisbona ejecti. 390
Judæo-Cremnus quid? 543
de Jurisprudentiæ ſtudio feliciter inſtituendo Bœcleri conſilia. 544

K.

KEilius (Jo.) impoſtor viſiones quasdam jactavit. 275
Kempis (Th. à) author libri de Imitatione Chriſti. 141. 561
Kind quid ſtilo veteri Teutonico notet? 13
Kirchmanni (Jo.) Epiſtola. 528
de Krafft (Dn. Raymundi) Bibliothecæ memorabilia enarrantur in genere. 3. ſpeciatim Codices Biblici MSS. 5. impreſſi rariores & præſtantiores. 24. alii Codices MSS. membranacei in folio. 35 chartacei ejusd. formæ. 36. membranacei in quarto. 76. chartacei ejusd. formæ. 86. membranacei in oct. 109. MSS. Arabica, Perſica, Turcica. 112. Codex Sinenſis & Malabaricus. 113. Autographa epiſtolarum. 114. Libri chartæ pergamenæ impreſſi. 31. 119. ſub typographiæ primordia & paulo poſt a Fuſto & Schoiffero excuſi. 121. ab aliis ad annum MD. impreſſi. 123. alii rariores. 144. Statuæ & imagines. 171. cimeliotheca. ibid.

L.

L Amberti (Franciſci) vitâ. 307. annus locusque natalis. 310. rationes, propter quas Minoritarum habitum rejecerit. 312. res geſtæ in Helvetia. 324. Iſenaci. 327. Wittebergæ. 330. Metis. 360. conjugium. 352. merita de Eccleſia Haſſiaca. 366. quo ſucceſſu is interfuerit colloquio Marpurgico. 368. ejus epiſtolæ. 334. 353. mors. 372. elogium. 373. ſcripta. ibid. ſingularis ſententia de uſu ſortium in vocatione miniſtrorum eccleſiæ & caſibus perplexis. 378

Lapidem philoſophicum in Cantico Canticorum laudatum inveniſſe ſibi viſus eſt J. L. Heinzel. 106

Leo X. ingentem vim æris alieni reliquit. 396

Livii lectio politicæ diſciplinæ ſtudioſo perutilis. 545

de Ludis Judæorum. 541

Lutheri libri combuſti. 394. 409. conciones cupide auditæ a Chriſtierno Dan. Rege. 409. nuptiæ. 423

M.

MAgliabechii (Ant.) encomium. 173.
Catalogi MSS. orientalium Bibliothecæ Mediceæ, ibid.
ad Maittaire Annales typographicos supplementa. 123
de Malateſtis (Carolus) ſtatuam Maronis Mantuæ dirui curavit, propterea ab Aretino reprehenſus. 225
Manutii (Ald.) elogium. 555
Martyres Bruxellenſes. 414. CCCC. Metenſes. 418
Martyres Chronologici, 158
Martyrologium Eccleſiæ Germanicæ vetuſtiſſimum. 76
Marchand (Proſp.) Hiſtoire de la Bible de Sixte V. 433
Maſcurat liber rariſſimus. 557
de Mayno (Jaſonis) elogia. 456. Oratio in funere Hieron. Torti habita. ibid.
Membranacei Codices impreſſi rariores. 119
de Miltiz (Car.) a Pontifice ad Fridericum Elect. Sax. legatus. 390

N.

NEſenus (Guil.) in Albi periit. 415
Norici Magiſtratus Zelus contra Socinianos. 530
Quædam ad Noribergenſis Eccleſiæ Reformationem pertinentia. 404. 413.
Notkerus Labeo author paraphraſeos Teutonicæ Pſalterii. 21
Nutzelius (Caſp.) 414

O.

OChini (Bernardini) ſcripta quædam 152
Oſiander (Andr.) 405
Otfridus Monachus Wizamburgenſis. 20

P.

PAræus (Jo. Phil.) Plagii inſimulatus. 532. perſtringitur a Grutero. 535
Peireſcii (Nic. Claud. Fabr.) laus. 261
epiſtolæ. ibid.
Περιεργια quorundam eruditorum. 167

Pfeffingeri (Degenh.) encomium. 391
Philippus Haſſiæ Landgravius Evangelio favet. 418
Piccolominæus (Auguſtinus Patricius) author libri de Ritibus Pontif. 145
Pii IV. Epiſtola de communione ſub utraque. 501
Pictorum errores in hiſtoria ſacra. 18
Piccarti (Mich.) laus. 534
Poliander inter typographiæ inventores quis ſit, quæritur. 305

R.

RAmi (Petri) epiſtola. 245
Reliquiæ Romanæ. 73
Ruarus in Photinianorum caſtra ſe transfugiſſe negat. 529
Rufi (Conr. Mutiani) mors & ultima verba. 429

S.

SAlmaſius notatus. 11
Saltzburgenſes cives monachos expellunt. 411

Schleinizius (Jo.) Epiſc. Miſn. Luthero inimicus. 393
Schoiffer (Petrus) 305
Schotti (Andr.) Epiſtola. 258
de Sepulchro Chriſti. 282. 287
de Sepulchris Ebræorum. 286
e Sermonibus in Concilio Conſtantienſi habitis excerpta. 40
Serrani (Jo.) nomine uſus Franc. Lambertus. 336. 338
Serveti libros quis typis exſcripſerit? 108
ubi extent exempla eorum? 558
Siccingeri (Franc.) fata poſtrema. 407
Sixti V. Bibliorum Latin. hiſtoria. 433
Soloeciſmus literarius. 124. 561
de Sortium uſu Lamberti ſententia. 378
e Spalatini diario MSto excerpta. 389
Spalatini Annales Reformationis. 552
ejus nuptiæ. 427
Spalatiniana varia. 103
Speratus (Paul) ob veritatis confeſſionem in Moravia in carcerem conjectus. 409
per Stationes in hoc vel illo templo quid ſtilo Rom. Eccleſiæ ſignificetur. 69
Sudarium quid? 281. 289
Sufficit, Symbolum Jo. Val. Andreæ. diſticha quædam explicatoria in illud, 277

T.

TAuber (Caſp.) martyr. 417
Taxæ pœnitentiariæ rariſſima editio. 558
Tezelii (Jo.) epiſtola. 241
Themiſtius an fuerit Chriſtianus? 247
Theurdank. 144
Torti (Hieronymi) vita. 456
Tucher (Ant.) 414
Typographiæ laus. 293. primigeniæ monumentum rariſſimum. 293. de ejus Inventoribus carmen. 303

V.

in VAlturii (Rob.) laudem carmina. 126
Vecchietti (Hier.) de anno primitivo mundi liber. 155. fata. 157
Velſeri Epiſtola. 247
Vergerii (P. P.) ſcripta quædam. 153
de Vicerne (Godofr.) paraphraſis rhythmica V. & N. Teſt. 560
Virgilii ſtatua Mantuæ a Carolo de Malateſtis diruta. 225

W. Wi-

W.

WIttebergæ quando missæ privatæ abrogatæ? 406

Z.

ZWinglius aliique ministri Helvetii ab Hugone Episc. Const. petunt, ut ipsis uxores ducere permittat. 398

VA1 1526317